



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Evangelistarivm M. Maruli Spalaten. opus vere  
euangelicum, sub fidei, spei & charitatis titulis in septem  
libros partitum**

**Marulić, Marko**

**Coloniæ, 1532**

**VD16 M 1298**

De charitate Liber V.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-35578**

# EVANGELIUM

LISTARI MARCI MARV.

li Liber quintus, sub titulo charitatis, materiam de libidinis cohibitione, matrimonij integritate, elemosynarum largitione, beneficiorum collatione & acceptione, & vitis his virtutibus contrarijs, complectens.

## De temperantia Cap. I.



**P**S A igitur passionum, quæ a sensibus oriuntur, moderatio, temperantia dicitur. Ea virtus vsq; adeo reliquis omnibus necessaria est, vt nisi illis comitem se præstiterit, continuo ad vitia dilabentur, & virtutis nomen naturamq; amittent. Iustitia que ipsa si temperantiæ freno non regetur, aut in negligentiam, aut in sæuitiam desineret. Temperantia mediocritatem seruat, appetitiones domat, ignauiam expellit: dicta, facta, cogitataq; rationis finibus concludit. Nihil turpe fieri patitur, voluptatibus imperat, ne modum excedant, dolori succumbere vetat, in omnibus rectori honestiq; rationem constare iubet, non sinit extolli prosperis, neq; deñci aduersis, sed in vtraq; fortuna constantem animum esse iubet. Ne itaq; sensuum tuorum perturbationibus cedas, temperantia efficiet, & ad illa quæ memorauimus, comparanda remedia te diriget, quibus tu vsus abiges abs te orium & desidiam, & cupiditatem, & turpes amores, & omnem luxuriam, vt amplecti queas laborem, sollicitudinem, largitatem, pudicitiam, frugalitatem. Et cum vitia quæ circa virtutem in medio constitutam sunt caueris, illa quoque quæ ultra habentur vitabis, ne videlicet labor vertatur in lassitudinem, sollicitudo in curiositatem, largitas in prodigalitatem, pudicitia in agendorum dicendorumq; inutilem verecundiam, frugalitas in stultum ab omnibus

abstinendi rigorem. Cuncta ergo æquis temperantiæ  
 mensuris, iustisque proportionibus circumscribes, vt  
 nec modicitate delinquas, nec nimietate excedas. Opti-  
 mumque tibi videbitur, solerriam sequi nautarum, quæ  
 in onerando nauigio tale temperamentum seruant, vt  
 neque nimio pondere pressum obruatur fluctibus, neque  
 nimia leuitate suspensum lateribus vacillet, & flantium  
 ventorum impetum ferre nequeat. In omni quippe vi-  
 tæ tenore rationabilis mensuræ modus vtilissimus est  
 Intemperantia vero omnium prorsus nequitiarum &  
 parens & nutrix est. Quibus illa dominatur, de sancto-  
 rum consortio exierunt, cum iustis non scribentur.

Ab ipso enim domino, quia sanctionibus eius non pa-  
 rent, reprobati abdicatique sunt. Omnis alienigena, in  
 quit, incircumcisus corde, & incircumcisus carne, non  
 introibit in sanctuarium meum. Aliud præterea incir-  
 cunciforum genus est, quos Ieremias notat, dicens, Ec-  
 ce populus hic incircumcisus auribus, & nolunt audire.

Aliud etiam de quo Moyses esse se fatebatur, cum se in-  
 dignum officio sibi delato existimaret, & vt in He-  
 bræo habetur, diceret, Incircumcisus labijs ego sum.  
 Huiuscemodi autem circuncisiones, hoc est, cordis, au-  
 rium, & labiorum, quia non corporis, sed spiritus sunt,  
 faciunt vt ipsam quoque carnis circuncisionem, intel-  
 ligentiæ demus spiritali. Qui ergo temperans fuerit,  
 primo cor suum circuncidet ne cogitet malū, ne prauæ  
 appetitioni assensum præbeat. Qui enim assenserit, &  
 ad perficiendum scelus quod cogitauit animum incli-  
 nauerit, hic incircumcisus corde erit. Deinde qui tempe-  
 rans fuerit, suas aures circuncidere curabit, subtrahen-  
 do auditum delatorū susurris, adulatorum blanditiis,  
 turpibus scortatorum canonicis, impudentiæque scurrarū  
 Qui vero aliquem ex his libenter audierit, incircunci-  
 sus auribus erit. Postremo qui temperans fuerit, labia  
 sua circuncidere studebit, linguam cohibendo, ne de ali-  
 quo infamandi causa obloquatur, ne cui maledicat, ne  
 litiget, ne rixetur, ne opprobret, ne mentiatur, ne  
 quid denique iniquum, tædum, inhonestum pro-

Ezec. 44

Iere. 6.

Exod. 4.

Incircūci-  
sus corde.Incircūci-  
sus aurib.

**Circumci-  
sus carne .**

glexerit, & sine delectu quicquid in buccam venit effug-  
tierit, hic incircuncisus labijs iudicabitur. Carnis vero  
circuncisionem ad reliqua interioris hominis membra  
pertinere reor. Itaque qui temperans fuerit, minime ne-  
gliget & manus circuncidere suas, ne malum operetur,  
pedes, ne illo vbi peccandi periculum imminet, currat,  
oculos, ne quid quod nefas est concupiscere spectent,  
palatum, ne ebrietati ganeæq; seruiat, olfactum, ne vn-  
guentorum odore delectetur, sed virtutum. Qui se ita  
vt dicimus circunciderit, circuncisiõe (sicut Paulus ait)  
non manufacta, & in omnibus spiritui magis quam car-  
ni obedierit, huc perfectæ temperantiæ inesse virtu-  
tem quis negabit? quis non dignū arbitrabitur, vt tan-  
dem in sanctuarium dei ingrediatur, præmiaque capi-  
at supernæ hæreditatis, factus dei filius, quia noluit fi-  
eri turpium voluptatum seruus.

**De virginitate Caput. II.**

**Leuit. 51.**

**Nume. 31.  
Iesus .**

**C**Aeterum cum in omnium malarum cupidinum  
incitamento temporantiæ freno opus sit, tū ma-  
xime in coitus appetitiõe stimulo inhibēdo. Nul-  
lus violentior in animantibus affectus, nullus insupera-  
bilior. Assidue cum illo pugnandum est, & si læpius vi-  
ceris, periculum est ne postremo vincaris. Quanto au-  
tem difficilior victoria, tanto & victoriæ remuneratio  
maior ac præstantior. Nunc ergo non incongrue refe-  
renda incidunt, primo castitatis pudicitiaq; bona, de-  
inde contrariæ libidinis mala, vt his deterriti, illis alle-  
cti, pertinactus in proposito persistamus virtutis. Casti-  
tatis quidem principatum tenet illibata virginitas. Nā  
virginem esse, supra vsum naturæ est, & angelicum ma-  
gis quam humanum. Ideoq; & in lege honorata est vir-  
ginitas, & in euangelio, sed in euangelio magis. Prohi-  
bet lex, vt sacerdos viduam vel repudiatam ducat vxo-  
rem, sed virginem tantum. Et cum Moyses Madianitas  
delere mandaret, virginibus parci iussit, Iesus Naue, qd  
Christi domini figuram ferebat, neq; vxorem habuisse  
memoratur, neque liberos, & illo duce populus Israel

terram ingressus ē promissionis. Elias & Elisæus nusquam inuisse matrimonia leguntur, & soli inter veteres a morte quosdam ad vitam reuocarunt. Ieremias quoque, quia in utero matris dicitur fuisse sanctificatus virgo permansit, ne donum amitteret adultus, quod acceperat conceptus. Ad nra veniamus. Ipse dei filius Christus virginem matrem sibi elegit, virgo ipse permansit, virginum sponsus dici voluit, sed neque baptizari nisi a virgine sibi placuit, neque matrem cum ab ea decederet, nisi discipulo virgini commendare. Hæc autem omnia, ut quam deo grata esset virginitas doceret, cuius conseruandæ matrem fœminis, se masculis in exemplum dedit. Exinde vterque sexus profiteri cœpit virginitatem, & ineundi coniugii prolisq; suscipiendæ voluptate contempta, ad monasteria confugere, seq; se li deo dedicare: ut dum neque nubunt, neq; nubuntur, angelis cœlestibus pares forent, & humanam conditionem egressi, peculiare priuilegium acquirerent, cantica quæ nemo alius cantare potest, coram deo personâ di, agnumq; sequendi, quocumque se ille vertisset, ut sicut Christo matrique eius Mariæ, ita & ipsis nullum in æternis mansionibus habitaculum clausum esset. Quid enim non illis patere crediderimus in patria sursum, quod hic peregrinarentur, nulli obscenæ cupidini patuerunt, & in carne præter carnem viuere perseuerarunt, ut magis deo placerent? Fidelissimorum enim seruatorum est, semper id maxime conari, quod domino suo maxime gratum fore animaduertunt. Itaque non solum attendunt quid ipse imperet, sed etiam præter imperium quid ipsum delectet. Quam obrem plurimi sanctorum virginitatem inuolaram conseruarunt, ut quæ se in primis deo placere posse non ignorabant. Virgines fuerunt Iohannes baptista, quo inter natos mulierum non erat maior, Iohannes apostolus, quem singulariter Iesus dilexisse dicitur, Iacobus, qui frater domini nuncupatus est, Paulus vas electionis, alijq; multi ex discipulis. Inter fœminas autem Martha, Petronilla, Tecla, Agatha, Lucia, Catharina, Cæcilia, Barbara, Hagnes

Elias.

Elisæus.

Ieremias.

Iesus Christi

aliæq; multæ, quæ tormenta perpeti atque occidi maluerunt, quam virginitatem nuptiis commutare. Quidam martyrum cum meretricibus a tyrano additis oppugnarentur, proprias linguas dentibus discidisse constat, ut voluptatis motum sensus excluderet doloris. Ipsi itaq; qui in confessione fidei aliorum sæuitiam non timebant, in castitatis periculo in se sæuerunt, non leuius flagitiū fore rati si libidini consensissent, quam si Christum abnegassent. Tunc autem in culmine virtutū tua erit virginitas, cum etiam illa quæ imperantur per feceris. Quæ enim vel qualis est serui erga dominum obseruantia, magna in re præstare obsequium, & in parua negligere mandatum? Nonne fatuitatis arguuntur in euangelio virgines quæ de sola virginitate sibi plaudētes, oleum quo torius vitæ lampas illuminatur oleum videlicet mandatorum dei non comparauerant? Nonne etiam ille ab omnibus irrideretur, qui coronam auream capite præferret, & vilibus attritisque indumentis tegetetur? Virginitas ergo nisi imperata domini perfecerit, tantum abest ut cæteris fidelibus altius ascendat, ut etiam cum ipsis qui in imo cruciantur computanda sit. Hoc verum esse ipsa decem virginum parabola tibi ostendit, fatuæ nanque prudentibus ianuam beatitudinis ingressis foris remāserunt, quia nihil aliud muneris habebant, quod sponso offerrent, præter nudam virginitatem adinimiculisq; necessariis carentem. Castitatis quidem professio inter perfectionis opera merito censetur; sed sicut poma antequam maturascant, decidunt, & folia ramique siccantur, cum trunco, cui tota arbor innititur, deesse cœperit humor, ita quæuis perfectio (si modo perfectio dici debeat, ubi multa deficiunt) suo fraudabitur fructu, nisi mandatorum obseruatione foueatur. Si vis ad vitam ingredi, serua mandata, inquit dominus. Nisi ergo illa seruaueris, licet castus, licet integer sis, & mente atque corpore impullutus, vitam habere non poteris. Castitatem vouisti, diuitias contempsisti, cætera religionis vota suscepisti: hæc per se quidem vitam beatam non merentur, si ta-

Mat. 23.

Mat. 23.

in virtutibus mandatorum dei coniuncta fuerint, ad multo altiorē beatitudinis gradum te prouehent, quā si absq; his mandata tantum obseruasses. Felix igitur illa uirginitas, illa castitas, illa paupertas, illa senioribus exhibita obedientia, quæ cum earum virtutum comitatu quæ iussæ sunt, cælesti sponso poterit occurrere. Felix inquam illa uirgo quæ non sola pudicitæ laude contenta, sed etiam omnibus necessarijs monilibus ornata sponsi sui præstolabitur aduentum.

## De castitate uiduali. Ca. III

**V**irginali munditiæ proxime accedit castitas uidualitatis continentiaq; eorum qui quamuis uirgines non sint, finem tamen carnali copulæ statuerunt suscepto religionis uoto, ut expeditius deo seruire cælestiumque contemplationi vacare queant. Horum propositum longe melius esse quam conjugatorū utriusque scripturæ testimonijs probatur. In Leuitico filia sacerdotis uidua ad patrem reuersa uescitur de sanctificatis, quæ certe attingere gustareque nequibat, dum marito seruiret. In Exodo Moyses p̄ triduum ab uxorio opere abstinere eos iussit, qui ad montem accessuri, deumque loquentem audituri erant, Sed neque Dauidi vel cæteris qui cum illo erant, cum esurirent, licuit panes accipere sanctificatos, nisi cū se mundos a mulieribus ab heri & nudius tertius esse confessi sunt. In nouo autem instrumento Paulus apostolus conjugati atque soluti distantiam docere uolēs, Qui sine uxore est inquit, sollicitus est quæ domini sunt quomodo placeat deo: qui autem cum uxore est, sollicitus est quæ sunt mundi, quomodo placeat uxori, & diuisus est. Et mulier innupta, inquit, ac uirgo cogitat quæ domini sunt ut sit sancta corpore & spiritu, quæ autem nupta est cogitat quæ sunt mundi, quomodo placeat viro. Quantum igitur præferenda sit uidualitas matrimonio, continentia nuptiis, ipsa studiorum atque operum diuersitas inditio est. Quis enim fidelium negare audeat, longe melius esse, illa quæ dei sunt

Leuit. 22.

Exo. 10

i. Reg. 27

1. Cor. 7.

cogitare, quam illa quæ mundi & quomodo deo placeas quæ rere, quam quomodo placeas vxori? Nemo tamen credat damnari matrimonia dum his meliora proponuntur. Non enim peccant qui legitime coniunguntur. sed tamen illi qui ideo coniungi nolunt, vt liberius vtq; syncerius deo seruiant, beati esse dicuntur. Mulier, inquit, alligata est legi quâto tempore vir eius viuit: qd si dormierit vir eius liberata est a lege. cui vult nubat, tantum in domino. Beatior autem erit, si sic permanserit secundum meum consilium. Ac ne consulentem contemneres, cōtinuo subiunxit: Puto autem quod & ego spiritum dei habeam. Idem apostolus Tito discipulo præcipit, dicens: Viduas honora, quæ vere viduæ sunt. Has etiam qualiter se gerere debeant instruens ait: Quæ autem vere vidua est & desolata, speret in deum, & instet obsecrationibus & orationibus nocte ac die. Nam quæ in delicijs est viuens mortua est. Illas ergo quæ delicias mundi, vt Christum lucrifacerent spreuerunt, & reuereri: & si indiguerint, ecclesiæ alimentis mandat sustentari. Honor em̄ in scripturis non solum reuerentiam, sed etiam liberalitatem elemosynamque designat, vt in prouerbis: Honora dominum de tua substantia, & de primitijs omnium frugum tuarum da pauperibus. Cum autem Apostolus vere viduas in ecclesia reuerenter suscipiendas alendasq; præcepisset, si modo vnde alantur de suo non habuerint: prospicere etiam volens ne qua de his finisiri rumoris oboriatur suspitio, ne quis infirmis peccandi locus detur Vidua, inquit, eligatur non minus sexaginta annorum quæ fuerit vnus vtri vxor, in operibus bonis testimonium habens, si filios educavit, si hospitio recepit, si sanctorum pedes lauit, si tribulationē patientibus ministravit, si omne opus bonum subsecuta est. Adolescentiores autem viduas deuita. Cum enim luxuriatæ fuerint, in Christo nubere volūt, habentes damnationem, quia primam fidem irritam fecerunt. Non ergo ob hoc solum vitandæ sunt, quia earum consortium castitati periculum sit, verumetiam quia ipsæ iniuria

i. Tim. 5.

Pro. 3.



De charitate Liber V. 335.

ecclesiam afficere soleant, repetendo connubio, cum p-  
fessæ fuerint castitatem, & quod deo vouerant nō exol-  
uendo. Cumque ita sit: Volo, inquit, iuniores nubere,  
filios procreare, matres familias esse, nullam occasio-  
nem dare aduersario maledicti gratia. Iam enim quæ-  
dam conuersæ sunt post satanam. Quare illas nubere  
vult aperte declarat, ne videlicet castitatem vouendo  
irritum faciant promissum, ne post satanam abeant, &  
ad illicitos amplexus conuersæ diabolo nubant. Tolle  
incontinentiam istam, & non dicit, Volo iuniores nu-  
bere, sed quemadmodum superius dixit, beatiore erūt,  
si sic permanserint secundum consilium meum. hoc est,  
si in proposito perdurarint castitatis, & veræ vidui-  
tatis officijs functæ fuerint. Quod ibi etiam & quidem  
manifestius asseuerat, vbi ait: Dico autem non nuptis  
& viduis, bonum est illis, si sic permanserint sicut & e-  
go: quod si non se continent, nubant. Melius ē em̄ nu-  
bere quam vri, id est, licitas inire nuptias, quam illicitis  
ardere amplexibus. Patet ergo Apostoli eē senten-  
tiam: Illis viduis quæ se continere nequeunt, magis ex-  
pedire vt nubant, quam vt per incontinentiam pere-  
ant. Illis vero quæ deo magis quam hominibus place-  
re cupiunt, optimum esse nō nubere, sed in castitate per-  
seuerare. Porro quod hic fœminis præcipitur, viros quæ-  
que respicit, qui castitatem præferunt matrimonio, se-  
xagesimum fructum tricesimo, & domini cultum vxo-  
riæ seruituti, quibus a saluatore dicitur, Sint lumbi ve-  
stri præcincti, & lucernæ ardentes in manibus vestris.  
Et ab Apostolo, State succincti lumbos vestros in veri-  
tate. Lumbi ad generādi rationem pertinent, quos præ-  
cingere, quid aliud nisi castitati studere est? Hoc quidē  
præcipuis, hoc electis dei Christique discipulis iniungit-  
tur, non vulgaribus, non terrena temporaliaq; appetē-  
tibus, sed ad cælestem gloriā aspirantibus & æternam.  
Vnde Eliam prophetam & Iohannem baptistam zona  
cinxerat pellicea, q̄ significabat in carne mortificatos,  
nullique obscenæ cupidini subiectos, quam autem ma-

.1. Cor. 7.

Lucæ. 12.  
Ephesi. 6.

Psal. 37.

Prou. 31.

Matt. 19.

Isaia. 56.

gni spiritus hi ambo fuerint, nemo fidelis ignorat. Ille etiam vir sanctus ista continentiae virtute proficere optabat, qui ingemiscens ait: Quoniam lumbi mei impleti sunt illusionibus, & se superari sentiens auxiliū implorauit: Intēde, inquit, in adiutorium meum domine deus salutis meae, Illam vero multerem, vt optauerat ita profecisse credimus, de qua est scriptum: Accinxit fortitudine lumbos suos, & roborauit brachium suum. In brachio, iustitiae opera intelligimus, quae tunc sane robur & firmitatem sui concipiunt, cum lumbis zona castitatis constrictis contemnimus illecebras carnis, & coniugij iugo exepediti, in illorum concedimus libertatem eunuchorum, qui se propter caeleste regnum castrauerunt. Quae profecto virtus, quoniam vulgari vita eminentior est non imperatur, sed suadetur, dicente domino: Qui potest capere capiat. Vt autem ad capiendum quod poposuit enitamur, praemiorum magnitudine nos prouocat per Isaiam dicens: Ne dicat eunuchus, quoniam sum lignum aridum haec enim dicit dominus: eunuchis, Qui custodierint sabbata mea & elegerint quae volui, & tenuerint foedus meum, dabo eis in domo mea & in muro meo locum nomen, & nomen melius filijs & filiabus, nomen sempiternum dabo eis, quod non deficiet, Laudent matrimonia coniugati & prolis foecunditate gloriantur, dum tamen eunuchi nostri melius filijs & filiabus nomen a domino sibi vendicent, patribusque & matribus apud omnium patrem pluris habeantur. Restat vt doceamus quibus armis virtus castitatis ne offendatur, tuenda sit.

¶ De consortio diuersi  
sexus vitando.  
Caput III.

**C**astitatis professoribus non sui sexus hominum consortia sunt fugienda. Quis fuerint sancti vir & femina, nequaquam tamen sibi confidant, in aeta

te præsertim adhuc vegeta & robusta, vt sine arbitris  
 in se colloquatur, vt soli simul sedeant, aut conuersis  
 alter in alterum oculis inuicem se spectent, ne forte co-  
 gitare cogantur, quod intercedente verecundia confite-  
 ri non audent. Potest quidem fieri vt amborum vultus,  
 gestus, sermo pudicitiam seruet: difficillimum tamen  
 imo impossibile est, ne quando vel vtriusque, vel alte-  
 rius eorum mens impuris æstuet desiderijs, vel momen-  
 to aliquo temporis concupiscat, quod committere vere-  
 tur. Audi Salomonem dicentem: Fauus distillans labia  
 meretricis, & nirdius oleo guttur eius, nouissima autē  
 illius amara quasi absynthium, & acuta quasi gladius  
 biceps, pedes eius descendunt in mortem, & ad inferos  
 gressus eius penetrant, per semiam vitæ non ambulant  
 vagi sunt gressus eius & inuestigabiles. Nunc ergo fili  
 audi me, & ne recedas a verbis oris mei, longe fac ab ea  
 viam tuam, & ne appropinques foribus domus eius, ne  
 des alienis honorem tuum, & annos tuos crudeli. Præ-  
 sentem voluptatem cum futura pœna compara, & pro-  
 babis consilium hoc quod offeret. Cito transit quod de-  
 lectat, nullo sine concluditur quod cruciat. Sed fortasse  
 cauillaberis & dices, non tibi accessum interdici aliarū  
 præterq̄ meretriciū. At in ijs q̄q̄ q̄ pudicitiam præ se fe-  
 runt, blanda vox, mollis gestus, benignus aspectus, ve-  
 nusta forma, & tori<sup>o</sup> corporis tegumētōꝝ nō inelegās cul-  
 tus, nonne impudicitia incitamenta sunt? Ipsa quidem  
 mulier casta & continēs est, sed si multa quæ in illa con-  
 spicis, ad turpes cogitatus prouocant, quomodo tutū  
 te putabis, si ei adhaeris? Ne q̄s tamen malignæ excu-  
 sationi detur locus, disce non minus fugiendas esse pu-  
 dicas quam impudicas, illo saltem exemplo, quo Da-  
 uid secundum cor dei electus, & pudica satis iudica-  
 ta Bethsabee Vriæ vxor conciderunt. Nulla hæc no-  
 tabatur infamia, ille morum sanctitate non minus  
 quam regno nobilis erat. Hanc se lauante tantum  
 vidit & captus est, exarsit in concupiscentiam, opereq̄

Prou. 5.

2. Reg. 13

impleuit quod concupierat. Nunquid tu illo sanctior, ut tales feminas non solum intueri, sed etiam cum hisdem colloqui, cum hisdem considerare & commorari, & fortasse ridens arridere non timeas? Ad haec memeto quod idem periculum veriti plerique fideles, & paternam domum ne inter mulieres versentur, derelinquunt, & urbibus excedunt, & sola atque hominum cultu deserta loca penetrant, ibi domino seruientes, quo ne nomen quidem feminae possit accedere. Si qua eos aliquando visus mulieris cogitatio molestat, noctes vigiles ducunt, orationibus instant, ieiunia frequentant, pectus pugno urunt, donec domino miserante pristina menti reddatur quies, & aduersario in fugam conuerso victoriae succedat solatium. Nihil isti circa se conspiciunt nisi rupes & syluas nihil audiunt nisi rugitum ferarum & auium cantum & sibilum serpentum; tu te autem periculo liberum fore arbitraris quotidie inter feminas conuersando, illas intuendo, de illis fabulas audiendo, teque vltro illarum aspectibus offerendo, neque consortia vitando. sed nunc vocatus, nunc inuocatus domos cubiculaque illarum adeundo? Non est istud, crede mihi, seruare castitatem, sed prostituere, non spiritui seruire, sed carni cum scriptum sit, In medio mulierum noli commorari. De vestimento enim procedit tinea, & a muliere iniquitas viri. Sicut ergo vestimentis ac panno nihil est magis inimicum quam tinea, ita nihil magis periculosum castis mentibus, quam diuersi sexus coniuncta conuersatio. Bonum est mulierem non videre: quia qui viderit & concupierit, iam mechatus est eam in corde suo. Bonum est mulierem non tangere: quia qui tangit picem, inquinabitur ab ea. Quod si in solitudine degentium mentes foedis cogitationibus interdum sollicitentur, quomodo ibi castitas esse poterit secunda, ubi vir & mulier vel eodem vsu fuerit contubernio vel si locis disseparantur, congressibus non abstineant? Si quando tamen necesse erit conuenire, & vtriusque praesentiam res exegerit, tales testes arbitrique adhibeantur, quibus coram pudor erit vel loqui quod surpe sit, vel quod non liceat facere. Secreta enim col-

Eccle. 42.

De charitate. Liber V. 339.

loquia tamen si crimine caruerint, criminis tamen suspicionem non carebunt. Debemus autem providere bona non solum coram deo, sed etiam (vt Apostolus ait) coram hominibus. Cuius munda est conscientia, non prebeat alteri infamandi occasionem, ne in fratrem peccet.

De remedijs aduersus tetamen  
ta libidinis.

Caput V.

**P**orro cum feminarum frequentiam conspectumque fugeris, te ipsum fugere non potes. Quocumque locorum perrexeris, cum tua tibi carne pugnandum est. Caro semper ad voluptates prona, compellit hominem id cogitare, a quo mens deo dedita abhorret & declinat, ne forte dum carnali suggestioni assentitur, domino suo delinquat. Luctam istam vincere non poteris, nisi armis opportunis atque congruis fueris usus. Arma igitur quibus carnis tuæ domanda petulantia est ieiunia sunt solito crebriora, frequentiores preces, magis intenta diuinorum tractatum lectio, & circa facienda opera corporis fatigatio diligentior. Cum hoc te lorum genere qui in prælium processerit, eius castitatis arcem, neque carnis scæda titillatio, neque diaboli calida machinamenta poterunt euertere. Primo igitur da operam, vt ieiunando de cibis potius quam de lasciuia cogites, & venarum calorem temperes vëtris va-  
citate. Luxuriant enim corporis venæ pabuli repleti-  
one succensæ, & ebullire in libidinem affectant. Equos  
quoque ferocire cogit obesitas, macilenti desinunt cal-  
citrare. Quod si Sodomitas & Gomorrhæos (vt scriptum  
est) saturitas panis & otium in abominandos præcipi-  
tauit coit<sup>us</sup> & si hac ipsa de cã eiusdem criminis ludæi ar-  
guunt dicente, dño, Saturavi eos, & mœchati sunt, & in  
domo meretricis luxuriabãt: nõne p ieiuniũ euitata sa-  
turitate scelus quod ab ea proficisci credimus simul vi-  
tabitur? Cæterum cum turpis libido dæmonium illud sit,  
quod non eicitur (vt Saluator ait) nisi in ieiunio & o-

Jerem. 5.

Judith

Anna.

Lucæ. 2

Rom. 15

Ephē. 5

ratione, orandum quoque erit, ut ipse in nobis castitatis virtutem protegat qui dedit. Iungantur igitur ieiunio preces, & quod ipsi per se præstare non possumus, a domino postulemus ut possimus. Judith quæ Holophernem Assyriorum ducem sua occidit manu, ieiunando simul & orando viduitatem seruauit, & inter inimicos tuta, imo etiam inimicorum victrix fuit. Anna in euangelio Phanuelis filia, & ipsa amisso viro perpetuam vouerat castitatem. Qualiter autem eam conseruauit, euangelista declarat, dicens. Non discedebat de templo ieiunijs & obsecrationibus seruiens die ac nocte. Et quam casta permansit, Christum natum videre meruit, & in paruulo intelligere mundi saluatorem. Facessat desidia, omnis abeat torpor, non est otiosorum ista virtus, multa vigilia, assiduo labore tuendus est thesaurus, quem suppilare cupit caro, demoliri conatur diabolus & dissipare nititur mundus. Ieiunio ergo & orationi succedat lectio, quæ te vel in aliorum lapsu cautiorem efficiat, vel in aliorum fortitudine continentiore. Redintegratur animi vigor ad virtutum perseuerantiam, pleniorque infunditur gratia, quæ pie sancteque viuendi præcepta releguntur. Ibi iustorum præmia malorumque poenæ etiam segnes excitant ad colendam animi sanctitatem nequamque fugiendam. Legendo itaque sacras literas, quibus talia continentur, in proposito bonarum actionum solidamur non legendo reddimur imbecilliores. Apostolus ait. Quæcunque scripta sunt, ad nostram doctrinam scripta sunt. Frustra autem scripta essent, nisi etiam legenda omnibus proponerentur. Nolite (inquit) inebriari vino, in quo est luxuria, sed implemini spiritu sancto, loquentes vobismetipsis in psalmis, hymnis, & canticis spiritalibus, cantantes & psallentes in cordibus vestris domino. Qui ergo talia legere vel audire neglexerit, spiritu sancto impleri non poterit. Et quomodo castitatem seruare valebit, si spiritus sancti auxilio fuerit destitutus? Porro quid iucundius, aut quod optabilius, quam dei sapientiam in scripturis audire loquentem, & illius doctrinæ inherere, quod solus nec falli possit, nec velit fallere? Huius

potissimum lectionibus delectetur, quisquis optimis ve-  
 rissimisque vitæ institutis cupit proficere. Si tamen ad  
 huc alia lex in membris tuis repugnauerit legi mentis  
 tuæ, alijs insuper fatigationibus frangenda tibi erit, p-  
 teruitas carnis aut humum raistro fodias, aut holera in  
 horto sitientia irriges, aut plantaria facias, aut cani-  
 stra lætis texas viminibus, aut apram igni materiam cę-  
 das, & sarcinas humero impositas baiules, & domum  
 translatas vsui referues. Denique semper facias aliquid  
 operis, vt cum apostolo dicere queas; Castigo corpus *i. Cor. 9*  
 meum, & in seruitutem redigo, ne forte cum alijs præ-  
 dicauerim, ipse reprobus efficiar. Profecto nulla ei do-  
 minabitur voluptas, qui sic sibimetipsi imperare didi-  
 cerit, Sic autem faciendo, siue centesimum cum virgi-  
 nibus, siue sexagesimum cum viduis fructum colliget,  
 atque angelis qui in cælo sunt, par similisq; erit.

## De matrimonio. Caput vi.

**N**unc locus postulat, vt de matrimonio aliquid  
 in medium proferamus ne quis culpã putet vxor-  
 em ducere, cum etiam coniugatorum virtus sit  
 pudicitia colere, liberos bonis artibus instruere  
 non voluptatis gratia, sed generandi affectu copulari:  
 nihil dicere aut facere, quod ex ipsis natos non deceat  
 imitari. Quandoquidem paruulorum simplicitas nul-  
 lius operis est magis æmula, quam quod a parentibus  
 viderit factitari. Discant igitur cõiugati, quid ipsis a-  
 postolica præcipiat disciplina. Nam sicut misericors  
 deus vult omnes homines ad salutem peruenire, ita a-  
 postoli Christi cuiq; hominum conditioni monstrare  
 conati sunt quomodo saluarentur, quorum Paulus diui- *i. Cor. 7.*  
 na spiritaliq; scientia in primis præditus ait: Si accepe-  
 ris vxorem non peccasti; & si nupserit virgo, non pec-  
 cavit, quinimmo vt ostendat etiam in coniugio esse ali-  
 quid boni, Qui matrimonio, inquit, iungit virginem  
 suam bene facit. Nihil enim ab ipso rerum autore deo  
 constitutum est, quod non bonum sit, licet aliud alio

melius atq; perfectius. Tunc autem primum nuptiæ ab eo constitutæ sunt. cum masculum creasset & fœminam benedicensque ipsis dixisset. Crescite, & multiplicamini & replete terram. Qua quidem in re hoc quoque obseruandum, quod non ad voluptatem vocati sint, sed ad liberorum procreationem, vt crescant videlicet & multiplicentur, tamen si fieri non potest, ne qua intercedat voluptas, non tamen in ea nuptiarum finis esse debet, sed in fœctu multiplicando, quemadmodum benedictio præscripsit diuina. Et cum ita sit, audeo dicere, Scortator, non maritus est, quem magis coire quam generare delectat, & mulier ipsa scortum, non vxor, quæ libidine magis gaudet quam fœctu. Porro fœdera matrimonij perpetua esse oportet. Quos enim deus coniunxit, homo non separet. Erunt (inquit) duo in carne vna. Ita que præuaricatur vir quoties aliam appetit, & mulier quoties alium suspirat. Caro enim quæ vna esse debet, in duas distrahitur, cum pellex aut mœchus adamat. Sit igitur honorabile connubium (vt Apostolus inq;) & thorus immaculatus, vtq; contaminari illicito amore timeas, addit. Fornicatores em̄ & adulteros iudicabit deus. Viros quoq; præesse vxoribus debere testatur alibi, dicens. Mulieres viris suis subditæ sint sicut domino. Quoniam vir caput est mulieris, sicut Christus caput ecclesiæ, In Genesi quoque primæ mulieri dictum legimus a domino, Sub viri potestate eris, & ipse dominabitur tui. Cæterum sicut Christi & ecclesiæ sancta est coniunctio, ita viri & vxoris impolluta sit copula oportet, vt nec ipse aliam sponsam, nec ipsa alium desideret sponsum, & suspicionem etiam caueant minus fidi inter se amoris pactique violati. Neque enim coram Hymenæo vel Thalassio inter se pepigere, vt vana solebat gentilitas, sed vt decet fideles, deo vero inuocato, Christoq; teste & ecclesia. Nihil magis ratū esse debet, quam quod his accitis ac præsentibus, pie iusteque fuerit promissum. Deinde idem Apostolus paucis verbis multa complexus, Vxori (inquit) vir debitum reddat, si militer autem & vxor viro. Debet quippe alter alteri

Heb. 13  
Eph. 5.

Gen. 3.



dem, debet charitatem, debet honorem, pudorem, pacem, atque cōcordiam. Talia si intercesserint, exolui ab his quod debetur manifestum est. Oportet autem in eo quidem reddi debitum, ne alteri generationis operam exigenti alter denegat: Sequitur enim, Mulier sui corporis potestatem non habet, sed vir: similiter autem & vir sui corporis potestatem non habet, sed mulier. Hinc ait: Nolite fraudare inuicem, nisi forte ex consensu ad tempus, vt vacetis orationi. Quare hoc, nisi ne forte il-  
 lius qui consentire noluerit, cōcupiscentia periclitetur: & dum licito conueneat vt, ad illicita desideria declinet? Quamobrem post continentia quoque consensum horretur, vt iterum in idipsum reuertantur, atq; addit: Ne tenter vos satanas propter incontinentiam vestram. Sed quod suadet metuens, ne volens iubere vī deatur, ait: Hoc autem dico secūdam indulgentiam, nō secundum imperium. Volo autem vos omnes homines esse sicut me ipsum, id est, cælibes, continentēs, castos, & a seruitute conjugalis necessitatis prorsus alienos. Atque ita aliud est quod indulget propter incontinentiā, aliud quod vult propter vitæ perfectiōem. Vt ergo fornicationem fugias, vt ere coniuge, sed si ambo ducimini studio præstantioris virtutis, vt ere castitate. Alter enim carni seruire est, alterum spiritus, & qui in carne seminat, de carne & metet corruptionem, qui vero seminat in spiritu, de spiritu metet benedictionē.

1. Cor. 7

## De viri vxorisque officio.

## Cap. VII.

**M**eminerint prætereavxores reuereri maritos, priorem honoris locum eis cedere, eorūdem que subdi imperio. Id quidem exigit & autoritas diuina, vt dictum est, & apostolicum præceptum, & lex ipsa naturæ, cum etiam inter gentiles & a religione nostra alienos constet, viros quam fœminas honorabiliores esse atq; liberiores. Ne quis tamen vxore sic cōtempte vtatur vt serua, Ferri apostoli mandatum est, q̄ monet ipsis etiam impartiri oportere honorem tanquā i. Pet. 3

cohæredibus gratiæ vitæ . Et in Malachia est scriptū-  
 Vxorem adolescentiæ tuæ noli despiciere. Socia thori tibi  
 est. & domesticæ gubernationis curæq; consors, &  
 communium liberorum parens, non de capite educta,  
 ne imperet, nec de calcaneo, ne contemnatur, sed de co-  
 sta formata, vt inter vtrunq; media habeatur, & secun-  
 do loco post patrem familias in domo honoretur . Illa  
 obtemperet viro, ei autem reliqua familia subiecta sit.  
 Illa sicut Sara Abraham, ita virum vocet dominum, eã  
 vero reliqui dominam appellent, & veluti dominæ pa-  
 reant atq; obsequantur. Porro vt tali honore dignam  
 se non tam autoritate quam moribus ostendat, sit fide-  
 lis vt Michol, quæ ne patri quidem, & eidem regi obse-  
 cuta est vt virum proderet. Nam sicut de viro dicitur,  
 propter hoc dimittet homo patrem & matrem, & ad-  
 hærebit vxori suæ, ita & mulier debet adhærere viro,  
 vt nec amore parentum, nec timore regum fidem dese-  
 rat. Sit prudens vt Abigail, quæ iratum viro suo Dau-  
 dem animi sagacitate placauit, ita vt postea marito vi-  
 duatam ipse Dauid sibi elegerit vxorem, sola fœminæ  
 solertia delectatus. Quæ talis fuerit, etiam viri partes  
 agat in domo, si ille minus integræ mentis erit, reuerẽ-  
 tiam tamen exhibeat vt maiori: & sic omnia faciat, qua  
 si ille imperarit. Sit pudica vt Susanna, quæ coniugii fi-  
 de seruata malebat mori, quam amissa viuere, sed tam  
 sanctum fœminæ propositum cum nosset dominus, &  
 ab accusatorum infamia purgatam, & a mortis pericu-  
 lo liberam reddidit. Sit patiens & humilis vt Anna Hel-  
 canæ coniunx; quæ cum sterilitatis exprobatorem æ-  
 quo animo tulisset, mater esse meruit Samuelis, qui &  
 iudex populi extitit & propheta. In hac itaq; vnica, ple-  
 multo felicior fuit, quam illa in multis, cuius procaci-  
 tate incessabatur. Sit in omnibus quæ honeste fieri pof-  
 sunt, obediens viro, vitetq; Vasthi reginæ insolentiam  
 quæ cum Assueri Persarum regis mariti sui imperium  
 contempisset, diuortio mulctata, desiit esse quod erat,  
 & de fastigio publicæ dignitatis in ordinem corruit  
 priuatarum. Deponit enim deus superbos de sede, & ex

Mal. 2.

1. Reg. 18.  
Michol.1. Reg. 25.  
Abigail.

Susanna.

Anna

Vasthi re-  
gina.

alrat humiles. Licet aut nunc non sit locus repudii, turpissimum tamen est, repudio dignam videri. Sit præ te rea diuinæ rei studiosa, & ad preces deo offerēdas, præsertim, vt Tobia contunx Sara, quæ anteq̄ conjugale operam iniret, triduum cum illo in oratione p̄seuerasse traditur: & ambo q̄dem felicem connubii euentum habuerunt, eo q̄ initia illius dño consecrassent. Sit postremo in incessu modesta, grauis in aspectu, in sermone verecunda, simplex in ornatu, & in his rebus q̄ foris vident ostendat qualem intus q̄ non videtur animum gerat. Impleat etiam quod Apostolus Philemoni discipulo vt adolescentulas doceret, scribit. Vt videlicet viros suos ament, filios diligant, sint prudentes, castæ, sobriæ, domus curam habentes, benignæ, subditæ viuis suis. Exequatur & quæ princeps apostolorum Petrus partim prohibeat partim imperet, dicens: Quarum sit non intrinsecus capillatura aut circundatio auri, aut indumēti vestimentorum cultus, sed qui absconditus est homo in incorruptibilitate quieti & modesti spiritus, qui est in conspectu dei locuples. Ne quis tamen sordes & illuitem conuenire vxoribus honestis credat, rursus Paulū audiat Timotheo dicentem: Mulieres orare iube in habitu ornato cum verecundia & sobrietate. ornantes se, non in tortis crinibus, aut auro, aut margaritis, vel veste pretiosa, sed quod decet mulieres, promittentes pietatem per opera bona. Exclamarem in nostrarum commendæ componendiq; se luxuriam fœminarum, & in ipsarum immodicos ornatus inueherer (sunt enim quæ totum censum insuunt in vestibulis, inserunt in monilibus, gestant in digitis, & vt carnem suam diuitent, maritos egere cogunt) sed si domini apostolica q; præcepta, quæ sæpe in ecclesiis prædicari audiunt, non obseruant, & me quidem clamantem irridebunt. Satius est igitur attoniti oris silentio intemperantiam earum incusare, quam verborum increpatione frustra velle corrigere. His autem quas interior magis quam exterior cultus iuuat, satis erit: non me, sed quorum dicta in medium proposui, audire.

Sara

philem. 26

1. pet. 3

1. Tim. 2

De coniuge diligenda tempore.  
que continendi. Cap. VIII.Eph. 5.  
Coloss. 3.

Eccl. 3.

Ioh. 8.

Leu. 15. 18.

**Q**uod autem viros respicit, videlicet non oportere contemni vxores, dictum est supra, sed vt euidentius ea res constet, dicemus nunc quia liter ipsa vxor diligenda sit, deinde etiam continendi tempora indicabimus. Paulus apostolus. Viri, inquit, diligite vxores vestras sicut & Christus dilexit ecclesiam, & seipsum tradidit pro ea, vt illam sanctificaret, & paulo post, ita viri debent diligere vxores suas, vt corpora sua, qui suam vxorem diligit, seipsum diligit. Et alibi idem ait. Viri diligite vxores vestras, & nolite amari esse ad illas. Diligere quidem iubemur & proximos sicut nos ipsos. Qui tamen proximum diligit, alterum diligit, qui vero vxorem diligit, seipsum diligit, cum vir & vxor vna caro sint. Tanto igitur intentius diligatur vxor, quanto magis proxima est. Quid autem proximius, quam duo in carne vna? Dilectionis præterea ordo exigit, vt primo loco nobis ipsi optemus bona secundo proximis. Primo igitur loco etiam vxor amanda erit, aut si quis inter primum & secundum esse potest medius. Ambo autem gignendæ prolis causa inter se coeant, non explendæ libidinis affectu. Alterum legitime conjugatorum officium est, alterum turpiter lasciuientium immunditia. Ambo etiam obseruent continendi tempora, dicente Salomone. Tempus amplexandi, & tempus longe fieri ab amplexibus. Tunc igitur a coniugij opere veneræque voluptatis vsu continere sese debent coniugati, cum ciuitas opprimitur calamitate, ne communi malo alijs tristantibus ipsi gaudere videantur. Sic enim in Iohela propheta imminente captiuitate ad Iudæos dicitur. Egrediat sponsus de cubili suo, & sponsa de thalamo suo. Ad menstruatam quoque vxorem accedere lex vetat, ne concepti fetus vitium corrupti sanguinis trahant, & morbosi liberi sanieque confecti nascantur. Videant igitur vir & mulier ne coitus desiderio victi, menstruorum tempore congregiantur, re

plus molestiæ accipiant ex natorum fœditate quam ex concubitu voluptatis: sed neque illo die coeant, quo rē diuinam facturi sunt, tunc enim facilius quod poposce- rint impe trabunt, cum casti purique ad supplicandum deo processerint. Hoc sane præcepit apostolus: dicens, *Nolite fraudare inuicem, nisi forte ex consensu ad tem- pus vt vacetis orationi.* Tunc etiam magis accingant lumbos suos zona castitatis, cum sacrosancto corpori & sanguini Domini erunt communicaturi, vt quod in typo agni paschalis præcipitur, in vero agno qui ab- stulit peccata mundi impleatur. Plebi vocem domini die perendino audiruræ per Moysen iniungitur, ne ap- propinquent vxoribus suis, & Dauidi atq; his qui cum illo erant, panes propositionis ne esurientibus quidem dati fuere, nisi cum se mundos a mulieribus ab heri & nudius tertius cõfessi sunt. Quid autem sanctius illo pa- ne qui de cælo descendit? Quod ergo præcessit in figu- ra obseruetur in veritate, & hoc quidem ex consensu, vt enim se contineant coniugati, non alterius arbitrii est, sed amborum.

i. Cor. 7.

i. Reg. 21.

## De coniuge eligenda. Ca. IX.

**V**T autem concorditer ac sine querela procedant nuptiæ, par conditio quærenda erit in coniuge generis atque fortunæ. Iurgiorum causa eẽ con- suevit disparitas. Idcirco vir nobiliorem se aut opu- lentiorē non ducat, ne pro vxore patiatur dominam. Mulier quoque plebeia & vulgaris parūq; dotata non nubat præstantiori, ne forte non vxoris loco habeat, sed ancillæ. Quod si etiam inter æquales frequenter in- cidunt contentiones & lites & dissidia & similitates, q̄- to magis hoc timendum est, vbi alter maiorem suæ iactet titulos, ostendet stemmata, opibus gloriatur & multo fastu inflatus arroganter incedat; alter vero ni- hil horum habeat quo se illi exæquare possit, aut iniu- riam obiectæ vilitatis propulsare. Caueant igitur tam viri quam fœminæ matrimonio copulãdi, ne forte dũ coniugij iugum se subire credunt, iugum subeant ser-

Y

uitutis, & si bene recteque sibi consultum volunt, audi-  
ant versiculum illum a pueris in schola, in foro, in om-  
nibus compotis ventilatum:

Si voles apte nubere, nube pari.

Sed neque nimis formosam ducendam esse aiunt, nec ni-  
mis deformem, ne vel hanc habeas despectam, vel illam  
suspectam. Ea ergo placeat, cuius media inter istas  
erit species, ut nec multos allicere, nec tibi non gra-  
ta esse possit, ac proinde utriusque vestrum & pudicitia  
tutior maneat, & animus omni sublata suspitione tra-  
quillior, & ad mutuam propensior charitatem. Neque e-  
nim illi concorditer queunt pacificeque viuere, qui inter  
se de connubij fide dubitant, & zelotypiae vitio vel ma-  
ritus mæchum, vel vxor pellicem imaginatur ac ti-  
met.

### De filiorum educatione familia que regenda Ca. X,

**P**ost hæc optimos habere liberos gloria est paren-  
tum. Patris igitur matrisque erit officium, ex se-  
genitos non ad luxum, sed ad modestiam educa-  
re, non blanditiis emollire, sed castigationibus cohibe-  
re pie religioseque instituire. plectere si deliquerit, lau-  
dare si bene obtemperanterque se gesserint. Incrépationi-  
bus, minis, verberibus a vitio deterrere, exhortatio-  
nibus ad virtutem promissisque accendere, exempla vitæ  
alienæ, alia quæ fugiant, alia quæ imitentur propone-  
re, magis de moribus ipsorum quam de sospitate solici-  
tari. Reliquam quoque familiam ita gubernare, ut eo-  
rum quod domi sunt, sobrietas, parsimonia, frugalitas, te-  
stimonium sit integritatis industriæque dominorum.  
Super omnia autem omnes domestici, siue liberi sint, si-  
ue serui, doceantur deum timere, proximos diligere ne-  
minem odisse, nulli nocere, bene omnibus optare, et cui  
possunt benefacere, iniuriæ non meminisse, sed pro ma-  
lo bonum reddere. Magni profecto meriti apud deum  
erit, talem se in educandis liberis regendaque familia ex-  
hibuisse, sicut econtrario præcipue indignationis atque

odii neglexisse, & patris vel matris familias personam gerendo suum non obiuisse officium. Ait enim beatus Apostolus: Si quis suorum maxime domesticorum curam non habet, fidem negavit, & est infideli deterior. Quod si par crimen est, fidem negare, & eorum quibus præes parui pendere salutem, nonne par erit & criminis vindicta poenaeque commissi? Quisquis igitur alios regendi officium suscepisti, caue maxime ne otio atque ignavia deditus illud fastidias, neue gregem cuius es pastor lupis laniandum dimittas, & perditæ ovis sanquis de manu tua requiratur. Corripi delinquentes, instrue ignaros, protege infirmos, liberare cõtende perclitantes, indigentibus victui necessaria compara, denique si præmio non ducaris, poenam time, quæ illis debetur, qui fidem negarunt.

1. Tim. 5.

## De fornicatione vitanda. Ca. XI.

**E**T quontã matrimonio prætulimus viduitatem, viduitati virginitatem, nihilq; horum malum esse diximus, contraria quoq; in mediũ producenda sunt, vt vitij scditate offensi, cupidius vturib. incubamus. Virginitatem amittere, quid est aliud nisi ab ipsa angelicæ conditionis celsitudine ad nostræ mortalitatis humilitatem, descendere, & cum spiritu ceperis carni siniri? Similis angelis eras virgo dum nescires corruptionem, iuncta es viro honestis nuptiis, fateor non peccasti, facta es tamen de spiritali carnalis, de caelesti terrena, de auro purissimo æs vilissimum. Iam non potes venienti Christo sponso cum lampade accensa occurrere, nec inter sponsas eius censeri, virginũ ille spõsus est, non corruptarum amator. Et licet non repellat coniugatos coniugij iura seruantes: primo tamen loco habet virgines (vt dictum est) secundo viduas, vltimo maritatas. Quod de altero sexu dicimus, de vtroq; sentimus. Prior ẽ apud deũ q; feminã nescit, deĩ q; post cognitã castitatis votũ suscipit, postremo ille q; gignẽdæ prolis gratia matrimonio seruit, & pudicitia atq; charitatẽ genitali thoro debitã colit. Hæc sunt tria illa hominum gña, de quibus in euangelio dicitur: Tunc duo

Virginitas.

Matth. 4

erunt in agro, vnus assumetur, & vnus reliquetur, duæ molentes in mola, vna assumetur & vna relinquet. Virginitas in agro moratur puritatis inter nitentia intacto candore lilia, & Christum dominum inuocat dicens, Veniat dilectus meus in hortum suum, vt comedat fructum pomorum suorum. Continentium secundum esse censeo, qui carnem suam terunt mola ieiunij, vigiliarum, precum, honestiq; laboris, subdentes eam spiritui, vt panes mundi efficiantur deo offerendi. Sed vt noscamus quatum hi a virginitatis gradu distent, sub sexu minus nobili proferuntur, dum dicitur duo molentes, nec tamen i. deo conjugatis inferiores, quamuis non duæ sed duo de illis dictum sit. Quia virginum quidem & continentium inter se habilis congruaq; comparatio est. Coniugati autem non his conferuntur, sed incontinentibus potius, iuxta apostolicum illud: Melius est nubere quã vri. Nubere itaque bonum est, quia vri & ad illicitos ardere amplexus malum est. Duo igitur in lecto vno sunt, qui matrimonio copulantur, vt sint duo in carne vna, & lectulum non diuidant prauo desiderio amoris alieni. Cæterum quia nec virginibus castitas, nec viduis continentia, neque conjugatis proderit pudicitia, si mandata dei perficere neglexerint: ideo dicitur: vnus assumetur & vnus relinquetur. Quilibet enim ordo in duo erit diuisus: alios habebit qui saluabuntur, alios q; peribunt, saluandi obuiam Christo assumuntur in aerea: dampnandi autem relinquentur in igne cum diabolo commissi luituri. Quod si ne virgines quidem, quæ fatuæ erant, intrare beatitudinis ianuam potuerunt, q; modo intrabunt scortatores, adulteri, libidinibus die noctuque seruietes? Si inquam neq; continentibus, neque matrimonij fidem seruantibus parcitur, cum illa quæ iussa sunt, contempserint: quanto acrius torquebitur qui continentiam quoq; stupris polluerunt, vel qui conjugij sanctitatem adulterij nequitia profanarunt? Christus in Apocalypsi iratus clamat: Foris canes & venefici & impudici, & tu te ab eo suscipiendum speras, q;

Apo. 22.



post continentiae votū ad libidinis pristinae sordes re-  
 uerteris, ut ad vomitum canis, & insipientes multercu-  
 las blanditiis donisq; illicis, quasi incantationibus ve-  
 neficus, & in omnem impudentiam præceps fereris, ut  
 obscenæ appetitioni morem geras? an ideo fortasse  
 negligentior es, quia quos foras exigi audis, solo beati-  
 tudinis fructu carituros putas? At hic idem, cuius iudi-  
 cia firma raraq; habentur. alibi ait: Fornicatorum par-  
 tem cum veneficis idolatrisque futuram, in stagno ar-  
 denti igne & sulphure; quod est mors secunda. Non so-  
 lum igitur beatitudinis possessione priuabuntur, ve-  
 rum etiam suppliciiis nunq; finendis tradentur. Hoc q̄  
 verum sit manifesta multorum exempla docent. In qui-  
 bus Sodomam & Gomorram libidinibus ardentem ar-  
 detior de caelo pluens flamma consumpsit. Zambri Isra-  
 elitæ cædes & Madianitidis meretricis cui ille se con-  
 iunxerat, deo populo iratum placauit. Lex quoq; adul-  
 terii conuictos lapidibus obrui iubebat. Et licet postea  
 clementissimus dominus legis rigorem euangelii gra-  
 tia temperarit, indemnaram dimittendo adulterā, ne  
 poenitentibus adimere spem videretur salutis, Vade ta-  
 men inquit, & noli amplius peccare, ne quid grauius ti-  
 bi contingat. Grauius est enim in abyssum inferni de-  
 trudi, quam lapidum ictibus interiri, & animæ quam  
 corporis pati mortem. Resipiscite igitur impudici, re-  
 dite ad cor fornicatores, exurgite de stercore meretri-  
 ces, dum licet, dum poenitentiae superest tēpus, ne post  
 hac tristius vobis acerbiusque contingat, quam Sodo-  
 mitis, quam Gomorrhæis, quā Zambri & Madianitidi  
 scorto, quam denique est illud quod in puniendo ad-  
 ulterio lex decernit. Nihil enim terribilius dici aut ex-  
 cogitari potest, igni inextinguibili, tenebris exteriori-  
 bus, verme immortalis, perenni fletu, nunquam quietu-  
 ro dentium stridore, poenisq; illis, quarum grauitas ne-  
 que intermittenda, neque eleuanda, neque sæculis vl-  
 lis vnq; speratur finienda. Quorsum igitur illa mortife-  
 ræ cupidinis fomenta, amatorias misitare tabellas, de-  
 linificis blandiri verbis, nutu, nictu, sibilis allicere, co-

Apo. 21.

Sodoma.  
Zambri.

Iohan. 8.

mere caput, vestimenta componere, fores obsidere aliorum, ludis interesse, choreis, cantibus, sonis, iocis diem consumere, modis omnibus effœminari ac mollescere. Quorsum etiam tot ornandi corporis instrumenta, speculum, pecten, vossellæ, calamistrũ, discernicula, bullæ, crepitula, segmenta, in aures, monilia, armillæ, anuli, reticulæ, vittæ, margaritæ, lapilli, quæ enumerare nedũ æstimare difficile est? Quorsum postremo ad fucandam faciem purpurisum & cerusa? ad erugandam atq; emaculandam alia quædam smegmata, mangonumq; linitiones? Quid hoc est, nisi propriam pudicitiam profiteri, & vim inferre alienæ, & nullum omnino obscœnitatibus modum imponere? Mirrite ista quæso, qui tam insipienter excidistis, & ad mentem reuersi tandem aliquando cogitate, an tanti sit breuis ac momentanea corporis voluptas, vt propter illam vel bonum infinitum castitati propositum contemni debeat, vel infinitũ malum impudicitia paratum non timeri? Cogitate inquã quæ secutura sunt, vt his quæ instant libentius abstinatis. Haud facile præsentibus delinitur, qui quotidie pensitat futura.

### De triplici eleemosynarũ genere

#### Cap. XII.

Mat. 5.  
Luce. 6

**S**atis ista de castitate ac pudicitia, nunc magis, pximam charitati & tutem explicabimus, erga egenos liberalitatem. Dñi nri, cuius oia sunt, pceptum est. Qui petit a te, da ei, & volenti mutuari abs te ne aueraris. Alioq; inopia tua succurrat opulẽria, vt obedias deo. Et licet iuxta aliã euangelistã dictũ sit, Omni petenti te tribue, non iuberis tribuere oia, sed omnibus. Rẽ male petenti, da consiliũ ne petat, iuste petenti paupi, da qd petit, si potes, si id nõ potes, da excusationem, & vobis cõsolare miserẽ, si nequeas auxilio. Atq; ita oĩ petenti dabis aliqd, cum dederis, qd & te dare deceat, & illũ accipere. Eadẽ rõ erit mutui pstandi. Neq; em̃ mutandus est gladius irato, neq; clavis furi, neq; equus latro-

ni, neq; nauis piratæ, neq; pecunia aleatori, neq; musicū  
 instrumentum impudico amatori. Mutuum ergo da,  
 non ei, qui aīo male aliqd agendi poscit, sed q perit qd  
 & sibi, pfit, & nemini noceat. Quod si nec a male postu-  
 lanzibus auerti volueris admone vt a malis resipiscāt  
 & ad bonum conuertantur. Et hoc quidem magnū mu- *Ibidem.*  
 tuum erit, si te hortante corrigentur. Mutuum (inquit)  
 date, nihil inde sperantes, & erit merces vestra multa,  
 & eritis filij altissimi, quia ipse benignus est super in-  
 gratos & malos. Estote ergo misericordes sicut & pa-  
 ter vester misericors ē. Mutuū istud eleemosyna est, q̄  
 non ab eo restituitur qui accipit sed qui præcepit, qui  
 dat pro modicis magna, pro temporalibus sempiterna  
 & eos regni cælestis facit hæredes, qui sui terreni pa- *Prouer. 19*  
 trimoniū partem impendunt pauperibus. Qui enim mi-  
 seretur pauperis, scenerat deo. Sed etiam qui miseren-  
 do mutuum dat, nec aliquid præterquam quod mutua-  
 tum est exigit, miserationis quidem suæ capiet merce-  
 dem. maiorem tamen ille, qui nihil ab homine repetit  
 vt a deo recipiat, quod ab ipso pmissum esse non igno-  
 rat. Sed antequam eleemosynarum rationem atq; meri-  
 tum demonstramus, docebimus eleemosynam aliam  
 fructuosam esse, aliam inutilem, aliam vero reprobam *Eleemosy-  
 na bona.*  
 & execrandam. Fructuosa est de qua loquimur, quam-  
 que tractare institimus, quæ vere eleemosyna dicitur  
 a miserando trahens vocabulum, vt vere non simulate  
 miserantium sit, nec vertentium in vitium virtutem,  
 veluti ex his quæ dicentur, facile patebit. Illa autem in-  
 utilis est eleemosyna, qua non dei sed hominum glo- *Eleemosy-  
 na inutilis*  
 ria quæritur: quæ scilicet non in occulto conscientiæ  
 fit, vt ei placeat qui videt in occulto: sed in publicum  
 profertur, vt vulgi potius captet plausum, ac fauo-  
 rem sibi conciliet spectatorum. Ait autem dominus: *Matth. 6.*  
 Attendite ne iustitiam vestram faciatis coram homi-  
 nibus, vt videamini ab eis. Alioquin mercedem non  
 habebitis apud patrem vestrum qui in cælis est. Pul-  
 chre additum est, ut videamini ab eis. Quo docemur,  
 non hominum conspectum fugiendum esse, sed laudis

humanae appetitum. Quem qui sequitur, cum multa donauerit, quid aliud pro rebus dilargitis recipiet, nisi uana commendationis uerba, quibus aures demulceat, & animo nihil conferat commodi? Quinimo illi etiam qui laudant, si causam largitatis nossent, vituperarent ut inanis gloriae audium, & non ut pietatis in egenos cultorem. Cum ergo facis eleemosynam, noli inquit, tuba canere ante te, sicut hypocritae faciunt in synagogis & vicis, ut honorificentur ab hominibus. Amen dico uobis, receperunt mercedem suam. Te autem faciente eleemosynam, nesciat sinistra tua quid faciat dextera tua, ut sit eleemosyna tua in abscondito: & pater tuus qui uidet in abscondito, reddet tibi. Dextera ad uirtutem refertur, ad uitium sinistra. Non ergo se misceat uitiosa laudis appetitio rectae sinceraeque eleemosynarum operationi. Quod cum caueris, uideant in te homines, unde deum laudent, unde uirtutis exercendae exemplum trahant: aut si illi non uiderint, satis tibi sit, eleemosynam tuam neque angelos latuisse qui tibi congratulabuntur, neque deum qui relaturus est praemium. Sed neque illoque utilis aut accepta erit apud deum eleemosyna, qui cum peccata non deserant, ea redemptum iri se existimant. quasi uero porrecta stipe corrumpi possit deus, ut scelera non puniat. Quamobrem autem alta imperaret, si ad salutem sola eleemosyna sufficeret? Peccata tua eleemosynis redime, & iniquitates tuas miserationibus pauperum. hoc poenitentiam agere uolenti dicitur, non in flagitijs obdurato. Sicut aqua extinguit ignem, ita eleemosyna extinguit peccatum. Sed ut aqua extinguat ignem non addas ligna, non suffles prunas oportet, alioquin crescente incendio consumetur humor uictus maioris flammae calore. Ita nisi peccare cessaueris, eleemosynis redimi non poteris. Eleemosyna benignitatis est uirtus, uirtutis autem nomine indigna esset, si uirtus faueret, si licentiam peccandi praestaret. Porro quia uirtus est, non delinquentes adiuuat, sed poenitentes emendat. In Ecclesiastico est scriptum, Dona iniquorum non probat altissimus. Ipse etiam dominus in Amos pro-

Matt. 6.

Daniel. 4.

Eccle. 34.  
Amos 5.

pheta obstinatis & in crimine perseverantibus ait, Hoc locustomata & munera vestra non suscipiam, & vota pinguium vestrorum non respiciam. Nemo igitur impune se peccare existimet, quia multa largitur pauperi. Primum esse debet, deum non offendere, secundum hominis inopiæ subuenire. Quod si etiam istud ut obediemus deo, facimus, cur in cæteris parere recusamus, in vno fideles, in alijs infidi? Ille in euangelio clamat, Pœnitentiam agite, & appropinquabit regnum cælorum. Et tu tibi appropinquaturum speras, non agendo pœnitentiam, sed porrigendo eleemosynam? Dimitte iam tandem errorem istum, ne tibi magis quàm alijs credens peareas. Et Iacobi Apostoli sententiæ adhærere incipe, dicentis, Religio munda & immaculata apud deum & patrem hæc est, visitare pupillos & viduas in tribulationibus eorum. Ac ne mutila esset & imperfecta definitio adiunxit, Et immaculatum se custodire ab hoc seculo. Sit igitur liberalitati iuncta iustitia, ut religio munda apud deum & immaculata sit. Reproba pro & execrabilis est eleemosyna, quæ ideo fit, ut vel aliqd callide extorqueas, vel aliquem seducas, & quæ piscator hamum sub esca latentem porrigas. Avaritiæ ista liberalitas est & fraudis, non miserationis & beneficentiæ. Hac Simo magus spiritus sancti donum emere voluit, & non quam petebat gratiam, sed quæ nolebat maledictionem recepit. Talem eleemosynam captator senibus iam morituris impartit, dum hæc redem se subscribi affectat. Talem corruptor simplici mulierculæ largitur, ut ipsam suæ libidini consentire compellat. Quicquid autem mali finem habet, malum sit necesse est. Nunc ad id quod proposuimus, nostra redeat oratio, ut de veræ eleemosynæ ratione atque fructu disseramus.

Quibus data est eleemosyna Cap. xiii.

**O**Mne beneficium quod necessitatem patienti misericorditer impenditur, eleemosyna est. Paupertate grauatos, cibo, potu, tegumentis, restro iuuat. His enim præcipue indiget paupertas. In Deuteronomio scriptum est, Non obdurabis cor tuum, nec con-

Iacobi. i.

Eleemosyna mala.

Simo magus.

Deut. 10.

- Ifaiæ. 8. trahes manum, sed aperies eam pauperi. Et in Esaia,  
 Frange esurienti panem tuum, & egenos vagosque in-  
 duc in domum tuam; cum videris nudum, operi eum,  
 & carnem tuam ne despexeris. Et in Euangelio, Si vis  
 esse perfectus, vende omnia quæ habes, & da pauperi-  
 bus, & sequere me. Et qui habet duas tunicas, det al-  
 teram non habenti. Illosque ad cœnam dominus præci-  
 pit inuitandos, quibus deest referendæ gratiæ copia, vt  
 non ab ijs remunerationem, sed a deo expectes. Parum  
 vel nihil facit lucri q̄ tribuit diuiti; & licet multo plu-  
 ra receperit quam dederit, nihil tamen ad illud, quod  
 a domino tribuendum speratur. Ideo & Zachæus di-  
 midium honorum suorum pauperibus obtulit, non di-  
 uitibus, & salus domui suæ facta est, Christo hospitium  
 eius ingresso. In eos tamen qui relictis contemptisque  
 omnibus Christum sequuntur, magis beneficos nos esse  
 oportet, vt cum dei seruis nos cōmodauerim⁹, meli⁹  
 de deo mereamur, exemplo Apostoli qui ait: Nunc pro-  
 ficiscar in Hierusalem ministrare sanctis. Idcirco alibi  
 hortatur, dicens, Dum tempus habemus, operemur bo-  
 num ad omnes, maxime autem ad domesticos fidei. De  
 quibus ipse dominus ait, Quod vni ex his minimis, q̄ in  
 me credunt fecistis, mihi fecistis. His æra conferri siue  
 res quibus indigent iubet Apostolus, ita ad Corinthi-  
 os scribens, De collectis autem quæ fiunt in sanctos, si-  
 cut ordinavi in ecclesijs Galatiæ, ita & vos facite per  
 vnam sabbati. Hos autem non solum rebus iuuandos  
 esse, verum etiam honore prosequendos docet, cum ait,  
 Qui bene præsunt præsbiteri, duplici honore digni ha-  
 beantur, maxime qui laborant in verbo & doctrina. Di-  
 cit enim scriptura, Non alligabis os boui trituranti, &  
 Dignus est operarius mercede sua. Propterea rursus  
 ipsis Corinthiis confidenter loquitur, Si nos vobis spi-  
 ritualia seminauimus, magnum est, si carnalia vestra me-  
 ramus? & ad discipulos a saluatore dicitur, Qui vos re-  
 cipit, me recipit. quod non modo de religione quam præ-  
 dicarunt intelligendum reor, verum etiam de vitæ su-  
 stentamentis, quibus indigebant. De his igitur præci-

cipua cura tibi sit, vt cum erga vitæ præceptorem libe-  
 ralis munificusque fueris, multorum salutem consulas, q  
 eius doctrina & institutis erudiuntur ac proficiunt. An- 3. Reg. 18  
 Abdiæ Achabi regis dispensatori etiam cum capitis sui  
 periculo non fuit graue, centum ex prophetis, quos Ie-  
 zabel impiissima persequebatur, neci subtrahere, in spe  
 luncis abscondere, cumq; fames esset, suis impensis pa-  
 scere & tibi molestum erit, si vni sancto aut alteri ne-  
 cessaria obtuleris, quæ non illis oblata, sed sibi compu-  
 tat ipse qui facit sanctos, & pro eleemosynis tam modi-  
 cis æterna se repensurum bona pollicetur? Cæterum et-  
 tiam ecclesijs conferenda beneficia sunt, vt qui altari  
 seruiūt, his vtantur. Si qd superfuerit, alijs dispensent  
 aut in ædificijs deo dicandis impendant. Sic fecit Da-  
 uid, sic Salomon, sic Esdras sacerdos. Præterea quoties  
 ciuitas annonæ caritate laborat, aliaue rerum molestia  
 affligitur, plebi succurrendum esse a potentioribus do-  
 cent, Ioseph Aegyptijs distribuens frumenta, Ezechias  
 & Iosias offerentes pro regno, pro sanctuario, pro Iuda  
 tauros, arietes, oues, hircos, vt eis quibus præerant mi-  
 serando, ipsi a suo præside deo misericordiam conse-  
 querentur. Docuit hoc & saluator noster, hominum  
 multitudinem pascens in deserto, nolens dimittere ie-  
 iunos, ne deficient in via. Et certe non humanus, sed fe-  
 rinus est, qui multos perire patitur, cum multos po-  
 test sua ope liberare. In peregrinos etiam seruanda est  
 humanitas. Cum enim mortalium vna origo sit, vnus  
 autor & dominus omnium, nemo nob extraneus habe-  
 atur, nemo alienus. In suscipiendis ergo peregrinis imi-  
 temur patris Abrabæ atque Loth liberalitatem, qui se-  
 dentes in foribus ciuitatis, aduenas vt ad se diuerterēt  
 rogabant, & qui tam benigne homines acceptauerant,  
 digni fuere hospites fieri angelorū. Imitemur Iob, q ca-  
 lamitatem suā hospitalitatis añ actæ recordatione cōso-  
 labat, dicens: Foris non mansit peregrinus, ostium me-  
 um viatori patuit. Imitemur Sunamitem illā magnam  
 quæ coenaculam fecerat, vt quoties Eliseus propheta Su-  
 nam transiret, inuitatus in eo susciperetur. Ob hoc

Abraham  
Loth.

Iob. 31

Sunami-  
tis.

Martha  
Discipuli.  
Lucæ. 24

Exod. 22  
Leuit. 19.

Deut. 14

Ezech. 22

Leu. 25

cum virum senem haberet, & ipsa esset sterilis, orante  
Elisæo, meruit esse masculæ prolis mater, & cum defun-  
ctum filium lugeret, vitæ restitutum recipere atq; con-  
solari. Imitemur Marthaæ sollicitudinem, quæ digna fu-  
it hospitio suscipere Christum. Imitemur postremo du-  
os illos de euangelio, qui Christum sub peregrini spe-  
cie latentem, pertransireq; volentem ad suum diuertere  
hospitium coegerunt. Longe quidem illis dissimiles  
qui ita submisse lenteq; inuitant, vt appareat, optare se  
ne veniant quos inuitarint, velleq; videri, sed non eti-  
am esse hospitaes. Hi vero qui peregrinum, vt apud i-  
psos maneret, coegisse dicuntur, cognoscere meruerunt  
Iesum, & caligine oculorum ac mentis deterfa resurre-  
ctionem eius læti videre, quem lugebant crucifixum.  
Ad hæc in Exodo est præceptum: Aduenam non con-  
tristabis, neq; affliges eum. Et in Leuitico: Si habitauerit,  
inquit, aduena in terra vestra, & moratus fuerit in-  
ter vos, non exprobratis ei, sed sit inter vos quasi indi-  
gena, & diligetis eum quasi vosmetipsos. Et in Deute-  
ronomio. Pergrino qui intra portas tuas est, da vt co-  
medat, aut vende ei. Vende si illi superest pecunia, si de-  
est da. Grandis inhumanitas est, vitæ necessaria quæ  
renti nolle saltem vendere. Cauenda vehementer cor-  
dis ista duritia est, ne nobis obici possit, quod præter  
alia Hierosolymæ mox vi hostili euertendæ per pphe-  
tam Ezechielem exprobratur, Aduenam calūniati sunt  
in medio tui, pupillum & viduam contristauerunt apud  
te. Quod scelus profecto nisi maximum foret, inter cau-  
sas tanti excidij non poneretur. Præterea morbo aliq;  
affectis optulari, & ægrotantibus assidere, elemosynæ  
genus est, de quo in Leuitico dicitur. Si attenuatus fue-  
rit frater tuus & infirmus manu, & suscepis eum quasi  
aduenam & peregrinum, & vixerit tecum, ne accipias  
vsuras ab eo, nec amplius quam dedisti. Et in Ecclesia-  
stico. Non te pigeat visitare infirmum. Non piguit illam  
quæ mundi dominum erat paritura, montana ascende-  
re, cognatam adire, ægrotanti assidere, quæ grauida lo-  
hæne baptista tædia iam vicini partus patiebat. Quod



si dei mater hominis matri infirmæ ministravit, nec te  
 pudeat inferiores tua non solum ope, sed etiam præsen-  
 tia consolari. Captiuos quoque & in vinculis coniectos  
 redimere, debitoribus æs alienum condonare, iniuste  
 oppressos tueri ac defendere, pii atque liberalis hominis  
 officium est. Hoc per Isaiam præcipit dominus, cū ait.  
 Subuenite oppresso, iudicate pupillo, defendite viduā.  
 Et alibi per eundem prophetam. Dissolue colligationes  
 impietatis, solue fasciculos deprimentes, dimitte eos qui  
 confracti sunt liberos, & omne onus dirumpe. In Eze-  
 chiele etiam iustus appellatur, qui pignus debitori red-  
 diderit, & pauperulum non contristauerit. Ut autem  
 eorum qui carceri mancipati sunt, angustiam miserear-  
 is, Apostolus horratur, dicens. Mementote vincitorum  
 tanquam simul vincti, & laborantium tanquam & ipsi  
 in corpore morantes. Nam si omnes in Christo vnum  
 corpus sumus, debemus male affectis condolere, ut mem-  
 bris corporis nostri, & salutem eorum consulere non mi-  
 nus accurate quam nostræ consultum vellemus. si idem  
 mali pati contigisset. Tunc enim si qua calamitate ipse  
 oppressus fueris, si qua violentia vexatus, non te pude-  
 bit opem implorare, quam alijs præstitisti. Da modico  
 operam, ut cum beato Iob dicere possis: Oculus fui cæ-  
 co, & pes claudus, pater eram pauperum, & causam quā  
 nesciebam, diligentissime inuestigabam, conterebam mo-  
 las iniqui, & de dentibus illius aufereram prædam. Po-  
 stremo aliorum tristitiam consolatione releuare, mor-  
 tuos qui non habent vnde funerentur, tuā impensa ef-  
 ferre, ac sepelire, ad eandem pertinet virtutem. Qua præ-  
 ditus Tobias, cum in Assyria captiuus teneretur, in eos  
 qui secum capti erant, benignitatem exercuit, verbis  
 consolando, rebus iuuando, & eos qui diem suum obij-  
 sent, mandando sepulturæ. Dumque aliorum angustias  
 miseratur, suas non sentiebat. Hæc de illis quibus adesse  
 debemus opera atque pecunia, nunc quantum erit  
 largiendum inopi, & pro quibus eleemosynæ faciendæ  
 breuiter expediemus.

Isa. 58.  
Isa. 19.

Heb. 13

Iob. 29

Tobias.

Quantum pauperi sit largiendū  
Cap. XIII.

**T**antum tribuendum, quantum pauperis indigētia postulat. Tantum vestium da ne algeat, ne nudus incedat. Tantum cibi ac potus imparti, ne fame sitiq; laboret. Non beneficium est plura donare, sed neq̄tiae irritamentum. Vestis delicatior excitat arrogātiā. Victus abundantior nutrit luxuriā. Prospiciendum erit igitur ne copiosius tribuas, quam ad parsimoniā accipientis credideris esse satis, ne forte dum iuuare cupis, noceas. Medicorum industriam imitare. Non porrigunt ægroto quantum ipse expetit, sed quantum salutis eius recuperandæ confert, quodq; profuturū censent impendunt, non quod noxium æger poposcerit. Ira & tu quantum hominis egestas requirit, & quod honeste sustentationi sufficit vel non petenti præbe. Quicquid ultra necessitatem est, quicquid obesse poterit, ne præbeas etiam si flagitarit, quod si tibi grandis rerum suppetit copia, da multa, sed multis, nam si vni dederis, licet ille acceptis non male utatur, tu tamen vnum diligere videberis, alios odisse. Christus autem non, p vno mortuus est, sed pro omnibus. Eius munificentia eris æmulator, cum plurimis benefeceris. Late patens virtus est charitas, non est contenta vnus angustijs in quem beneficia conferat, sed erga omnes effundi gessit, cum omnes æque diligat. Quanquam illos magis respicit quos magis miserabiles inopiososq; videt. Veruntamen si tibi quoq; non ita ampla est res familiaris, tantum indigentibus croga quantum victui tuo superesse poterit, ne & ipse egere incipias. Ita enim Apostolus Corinthijs consulens ait: Si voluntas prompta est secundum id quod habet accepta est, non secundum id quod non habet. Non enim ut alijs sit remissio, vobis autē tribulatio, sed ex æqualitate in p̄nti tpe v̄a abundantia illoꝝ inopiā sup̄leat, ut & illorū abundantia vestrae inopiæ sit supplementum. Quanam est ista pauperis

2. Cor. 8

abundantia, nisi quam pro beneficijs inopi collatis re-  
tribuit Christus, dicens: Venite benedicti patris mei,  
possidete regnum vobis a constitutione mundi paratū.  
Esuriui enim & dedistis mihi manducare, sitiui & de-  
distis mihi potum, & alia quæ sequuntur. Vnde idem  
alibi ait, Facite vobis amicos de iniquo mammona, qui  
recipiant vos in æterna tabernacula. Nisi ergo dederis,  
taliam non recipies. Si de tuis diuitijs non feceris tibi a-  
micos, quis erit qui te de terra tollere, & in cælesti col-  
locare dignabitur domo? Ab omnibus desitutus gut-  
ta aquæ indigere incipies cum diuite purpurato, qui  
micas panis Lazaro mendicanti dare noluit. Lazari in-  
opiam non est miseratus in sua copia diues, nec Laza-  
rus iam in sinu Abrahæ beatus & felix diuitis in igne  
ardentis miseræ permixtus est subuenire. Atque ita  
auari diuitiæ in æternam vertuntur inopiam, diuitiæ  
vero pauperibus Christi dilargitæ perennibus regni cæ-  
lestis bonis compensantur. Quod si opulentior es  
quam necesse sit, & luxuriæ deditus cuncta in tuos v-  
sus consumis, iniquus dispensator es. Pauperum est em̄  
non tuum, quicquid modeste frugaliterque viuenti su-  
peresse potuit. Aliena vsurpas, quoties tibi plus quam  
oportet indulges. Non es dominus omnium quæ habes  
quicquid supra necessitatem possides, eius tibi dispensa-  
tio credita est non abusus. Si bene dispensaueris audi-  
es a domino. Quia super pauca fuisti fidelis, super mul-  
ta te constituam, intra in gaudium domini tui. Sin ꝑ  
talentum tibi ad negotiandum traditum in terra deso-  
deris, nihil alijs impartiens, sed totum tibi vendicans,  
nihil te lucri fecisse argueris, atq; ideo pro ignauitæ cri-  
mine, pro iterioribus tenebris, quibus obnubilatus ani-  
mus futura non prospexit, tenebras patieris extero-  
res, ibi erit, ꝑ læritia fletus, pro crapula & ingluuie den-  
tium stridor, nunq̄ inde exies, de diuitijs istis exiturus  
citius q̄ putas. Quod si perituris conferre semp duratu-  
ra soleres, melius tecum actum duceres carere opibus,  
& esuriendo panem ostiatim quærere, quam illis atflue-  
re in immensum, illis tota ætate iucunde perfrui, & in

Matth. 25

Lucæ. 18

Mat. 25

pauperum vsus quantum debes non contulisse. Iudicium enim illi sine misericordia fiet, qui non fecerit misericordiam. Superest vt videamus, pro quibus facienda erit elemosyna, vt postea paulo plenius quam dictum est, elemosynarum quæstum commodaq; consideremus.

Pro quibus facienda est elemosyna.

Cap. XV.

Iob: 1.

1. Reg. 7.

Nnm. 33

Act. 9.

**P**RQ filijs offerebat holocausta Iob, dicens, ne forte peccauerint in cordibus suis. Exemplo nobis est, vt pro ijs qui grauiter lapsi sunt, non solum precemur, sed etiam elemosynas offeramus. Offerenda erit elemosyna & pro illis, qui in aliquo vitæ discrimine constituti erunt vt liberentur, & postquam liberati fuerint, vt pro beneficio a domino collato gratia referatur, qui illud quod pauperi impenditur, fatetur impensum sibi, Samuele sacerdote holocausta offerente Israelitæ parua manu ingentes Palæstinorum copias fuderunt. Territi enim hostes tonitru & fragore de cælo misso terga verterunt. Non est autem acceptior domino holocausti oblatio quam elemosynarum pia largitio, ipso dicente. Misericordiam volo & non sacrificiū, alias vero iſdem Hebræi cum duce Phinee superassent Madianitas, domino per Moysen iubente, prædæ totius quinquagesimam soluerunt sacerdoti ac Leuitis, & quia nemo ex eis desideratus fuit illo prælio, aurū domino consecrarunt, cuius benignitate & a periculo seruati fuerant, & victoria donati. Qui ergo in proximos misericordes extiterint, in hostem victores erunt, & deo protegente terræ marisque discrimina tuti pertransibunt, Pro ægrotantiū quoq; sanitate, ac pro delictis mortuorum elemosynarum liberalitas utilis habetur. Quod si Tabitam Petrus & Drusianā Iohannes de morte ad vitam reuocarunt, pauperum precibus permoti, quorum inoptam illæ sua ope sustentauerant, quanto facilius creditu est, eos de aegritudine ad sanitatem esse reuocandos si eis expedierit, qui eadem beneficentia in egenos vsi fuerint. Aut si non sanabuntur, meliorem

mercedem relatuos a domino quam ipsam corporum sanitatem. Porro pro defunctis eleemosynas facere, ex consuetudine religionis Christianæ est. In veteri autē instrumēto hoc ipsum astruitur ex autoritate Iudæ Machabæi principis ac viri multa in deū pietate insignis. Ille enim collatione facta, duodecim milia drachmarum argenti misisse Hierosolymam dicitur pro delictis eorum qui in prælio ceciderant offerenda. Et sancta (inquit) ac salubris est cogitatio pro defunctis orare, vt a peccatis soluantur. Nunc quanta vis atq; potestas eleemosynæ sit memoremus, non nostra præsumptione vsi, sed autoritate instructi diuina, ne quis aliter sententiū cauillationi locus sit. Quis enim fidelium tam temerarius est, vt scripturarum sententiam audeat impugnare?

¶ De eleemosynæ utilitate Cap. xvi.

**L**Egimus in prouerbis diuina humanaque sapientia insigniti Salomonis: Minus absconditū extinguet iras, & donum in sinu indignationem maximam. Reprimitur igitur dei vindicta in peccatores, quæ tanties misericordia exercetur in pauperes. In libris itidē diuinis audimus Raphaelem angelum Tobie dicentem, Bona est oratio cum ieiunio & eleemosyna, magis quā thesauros auri concedere, quoniam eleemosyna a morte liberat, & ipsa est quæ purgat peccata, & facit inuenire vitam æternam. Times ne si dederis, ipse egeas? Sed dare eleemosynam magis prodest quam thesauros recedere, Times mori? sed eleemosyna a morte liberat. Times damnari? sed eleemosyna peccata purgat, & vitam lucratur æternā. Tot terribiliū rebus metu hominem eximit eleemosyna, & ad summam prouehit beatitudinē, tu tamen auarus cumulandis non distribuendis opibus inhias, veluti de promisso dubius, de pollicitatione incertus, cū multis alijs in locis veritatis ipse sermo eadem asseueret & astruat. Iam primū hominis in egenos bñfici rem non minui, sed augeri, Salomon testatur in prouerbis, dicens, Fœnerat domino qui miseretur pauperis. Fœnus est autē pecuniæ commodatæ fœtus, quod

Prou. 21.

Tobi. 12.

Prou. 19.

Prou.ii.  
Iob.

Sareptana

Prou.3.

Matt.14.

Matt.15.

Lucæ.6.

& Græcia a pariēdo τράος vocant. Igit̃ sicut danistæ supra sortem vsuras exigunt, ita eleemosynarum largitor multo plus relaturus est a dño, quã quod ipse pauperibus erogat. Idem Salomon alibi ait: Alii diuidunt propria, & ditiores fiunt. Ditior factus est Iob post ærumnam, duplicia recepit omnium, quæ inuitus amiserat, quæ partem eorum volens distribuere egenis. Vidua Sareptana non partem, sed totum quod habuit olei atq; farinae protulit in medium, vt prophetam pasceret, ipsa cū vnico filio fame peritura, si eleemosyna nō plus mereret quam seminaret. Porro tantum hac liberalitate profecit, vt non deficeret ei oleum in lecytho, nec in hydria farina, donec pluuiam dominus daret super terrā. Fidutiā habuit in domino, & spe sua non est frustrata. Parum dedit, & recepit multum, & cum etiā diuites penuriam paterentur, torrentibus ipsis ob pluuiæ defectū siccatis, illa pauper dei beneficio victu necessario abundauit. Hoc quoque pollicetur Salomon in prouerbis, dicens, Honora dominum de tua substantia, & de primitiis omnium frugum tuarum da pauperibus, & implebuntur horrea tua saturitate, & vino torcularia redundabunt. Tale aliquid & in euangelio inuenies. Quid em̃ nisi multiplicato redituram in sinum porrigentis eleemosynam innunt quinq; panes illi, & duo pisculi multitudini esurientium apposti, & post hæc duodecim cophtini collecti reliquiarum? & iterum septem sportæ plenæ asportatæ pro septem panibus & paucis pisciculis. Quis ergo tam timidus est, vt his exemplis non excite tur ad liberalitatem, nec iam metuat ob hoc rei familiaris detrimentum fore, si eleemosynas dederit, cum præsertim veritas dicat: Date, & dabitur vobis: mensurā bonam & confertam & coagitatam & supereffluentem dabunt in sinum vestrum? Nemo tamen hac sancta largitate vtatur spe pecuniæ augendæ. Auari hoc foret, & terrena non cælestia concupiscentis: quæ non modo nō concupiscere, verum etiam propter Christum debemus cōtēnere, vt illas acqram⁹ diuitias quæ nec tinea corrūpere, nec fur possit auferre. Pro quibus adipsiscendis ple-

rique certe spontaneam subeunt paupertatem, ut osten-  
 dant nolle se omnino possidere opes perituras, sed illas  
 que perire nequeunt, in thesauris reconditas æternita-  
 tis. His autem fructuosos pauperum sustentatores ne-  
 mo negare poterit, nisi qui scripturarum repugnare vo-  
 luerit veritati, malēs damnari cum infidelibus, quam  
 cum fidelibus saluari. Ut igitur cælestes æternasque o-  
 pes capiamus, primo veritatis cognitione opus est, ve-  
 rique confessione, deinde ut delicta nostra expiantur,  
 & qui prius peccatis grauabamur, bonis actionibus p-  
 ficiamus. Hæc autem omnia præstare poterit fidelis ac  
 synceræque mentis eleemosyna. Cornelio Centurioni **Cornelius**  
 ab angelo de cælo in terras lapso est dictum: Orationes tuæ **Actu. 10.**  
 & eleemosynæ tuæ ascēderūt in memoriā in conspectu  
 dei. Itaque cum gentilis esset, eleemosyna meruit a Pe-  
 tro Apostolo discere Christum, & fidei baptismo puri-  
 ficari, ut in Christo renatus, cum Christo resurgeret  
 in gloria. Nabuchodonosor quoque rex gentilis erat, **Nabuchō**  
 quando deo voluit se æquare, fragilitatis humanæ ob **donosor.**  
 litus. Cumque ob hoc prædiceretur, quod regno eie-  
 ctus cum bestijs esset victurus, eleemosynis tamen mu-  
 tari posse dei iudicium intellexit, Daniele dicente: Pec-  
 cata tua eleemosynis redime, & iniquitates tuas mise-  
 ricordijs pauperum, forsitan ignoscet tibi deus. Quod  
 si etiam gentilium in pauperes pietatem deus respicit,  
 quanto magis credentium atque fidelium? **Eccle. 19.**  
 Audi scripturam dicentem: Conclude eleemosynam in corde pau-  
 peris, & hæc pro te exorabit ab omni malo. Vnde & in **Psal. 40**  
 psalmo dicitur: Beatus qui intelligit super egenum &  
 pauperem, in die malo liberabit eum dominus. quoniam vide **Eccl. 3.**  
 licet dicturus est: Esuriui, & dedistis mihi manducare.  
 Audi & aliam scripturæ sententiam: Ignem ardentem **Lucæ. 11**  
 extinguit aqua, & eleemosyna resistit peccatis. Et in euā-  
 gelio: Date eleemosynam, & omnia munda sunt vobis.  
 Iuxta superiorem sententiam, eleemosyna resistit pec-  
 catis, ne illa committamus: iuxta sequentem, ab ijs quæ  
 iam commisimus, facit ut emundemur, Reliquum est

Psal. 111.

Prou. 3.

.1. Cor. 9.

Matt. 19.

vt a præteritis expiatis, & a secuturis custoditos, deo nos offerat pro innocentia suscipiendos, pro iustitia præmiandos. Hoc ita futurum Psalmista testatur, dum de beato viro ait, Dispersit, dedit pauperibus, iustitia eius manet in seculum seculi, cor eius exaltabitur in gloria; vt intelligamus per charitatis beneficentiæq; opera ad æternam beatitudinem peruenire, & illos qui in his versati sunt, a Christo audituros, Venite benedicti patris mei, percipite regnum a constitutione mundi vobis paratum. Regni itaque cælestis hæredes erunt, qui rerum suarum terrenarum ipsos fecerint participes. Ab hac sane pietatis virtute nec ipsi pauperes excusantur. Nō habes quam alteri porrigas stipem, da si habes aquæ frigidæ poculum, & non perdes mercedem tuam. Duo minuta æra inopis viduæ in gazophylacio oblata, diuitum præferuntur denarijs. Non pensat dominus quantum das, sed de quanto, & quam libenter. Ille plus offert, cui minus quod offerat restat. Illius magis accepta sunt donata, a quibus magis prompto exhibentur animo. Hinc est præceptum illud Salomonis, Ne dicas amico tuo, Vade & reuertere & cras dabo tibi, cum statim possis dare. Ac ne id tamquam inuitus facias, admonet Apostolus, non tristem, sed hilarem datorem a domino diligi, Qui enim libenter dat diligit: ideo & ipse diligitur. Quod si nihil penitus habes quod inopi largiaris, ita miseriam eius condolescas, vt daturus esses si haberes: & pro beneficio computabitur pietas miserantis, multumq; proderit offerre voluntate, quicquid non poteris opere. Consummata vero ac perfecta elemosyna est, vt cuncta simul distribuantur: nec semper in erogando occupetur animus, potiusque attendat vt illum imitetur, qui cum diues esset, factus est pauper, vt nos diuites faceret in regno suo cælesti, cum terrena contempserimus. Ipse in euangelio ait: Si vis perfectus esse, vade & vende omnia quæ habes, & da pauperibus, & habebis thesaurum in caelo, & veni sequere me. Eis etiam qui ita secuti sunt ipsum, respondit: Omnis qui reliquerit domum vel fratres vel sorores, aut patrem, aut matrem, aut uxorem, aut filios



aut agros propter nomen meum, centuplum accipiet,  
& vitam æternam possidebit. Itaque magis grata est  
deo seruatorum suorum voluntaria paupertas, quam di-  
uitum seculi quotidiana munera.

¶ De vitio auaritiæ Caput. XVII.

**S**ed quid de illorum cupiditate dicemus, qui cumu-  
landis opibus nunquam faciunt, atque in tantū  
stenaces sunt, ut nihil pauperi porrigant, & quibus  
magis curæ est, pecuniam quæ sibi superat nulli vsui re-  
condere, quam egestati impartire alienæ? Quam male  
cum illis agitur, nosse operæpretium erit, ne quis opu-  
lentiæ eorum inuidendo, mores imitari decernat, per-  
datque dei gratiam, cum diuitias acquisierit. Non est  
enim amator dei, quem non miseret pauperis, dicente  
Iohanne Apostolo: Qui habuerit substantiam huius r. Iohan. 3  
mundi & viderit fratrem suum necesse habere, & clau-  
dit viscera sua ab eo, quomodo charitas dei manet in eo?  
Inter scelera quibus Sodoma interit, obicitur quod ma-  
num egeno & pauperi non porrigebant. Frustra itaque Ezec. 16.  
illi misericordiam a deo sperant, qui misericordiā pro-  
ximis non exhibent. Nec in aduersis eorum exauditur  
deprecatio, qui miserorum precibus non mouentur. ait  
cū scriptura: Qui obturat aures suas ad clamorem pau-  
peris, & ipse clamabit, & non exaudietur. Minus est ta-  
men sua non tribuere; aliena quoque iniuste rapere co-  
git auaritia, & ne a pauperum quidem fortunis impias  
continere manus, nullo satiabilis congestu, nulla copia  
contenta, imo eo cupidior, quo plura rapuerit. Vnde de  
illis quibus ea dominatur, est dictum: Rapiunt non  
sua, & semp̄ in egestate sunt. Semp̄ quippe restat, quod sibi  
vēdicare affectent. Eiusmodi iniustitiā dānat dñs in Isa-  
ia, dicens: Væ quod p̄daris, nōne & ipse p̄daberis? & quod sper-  
nis, nōne & ipse sperneris? cū cōsummaueris dep̄datio-  
nem, dep̄daberis, cū fatigatus desieris contemneris, con-  
temneris. Ad eos maxime ista spectat cōminatio, qui in  
potestatibus ysantur, & pastoris adepti officiū, gregē  
sibi cōmissum detondere non cessant. Si iumentum ster-

Prou. 21.

Prou. 11.

Isaia. 33.

Potestas.

cus fecerit, si extra ædeis loturam quis effuderit, si cū altero parum quid altercatus fuerit, mulctatur pecunia, quasi qui maiestatem læserit; denique mille causæ habentur despoliandi inopem, nulla miserendi. Et miramur si illorum qui sic agunt, non miseretur deus, si liberis orbantur, si ab inimicis infestantur, si & ipsi a potentioribus despoliantur; quasi vero iustus dominus iustitiæ suæ oblitus, tam iniquas exactiones impune abire passurus sit & non pro merito vindicaturus? nunquid vanum est quod Salomon præcipit, dicens: Non facias violentiam pauperi, neque conteras egenum in porta, quia dominus iudicabit causam eius. Sed enim tam facta est cupiditas, ut ne flagellata quidem resipiscat. Ad uersitatibus interdum affliguntur auari, & tamen mala quæ sustinent, non suo vitio imputant, sed fortunæ. Itaque rerum amissione non emendantur, sed magis ad prædandum rapiendumque accensi, reparare amissa festinant donec ipsi vitam amittant, & ad inferos detrusi crimen suum tandem agnoscant. Si quis tamen aures audiendi habet, audiat, & timere discat, cum audierit illud quod in Malachia est scriptum: Et accedā ad vos in iudicio, & ero testis velox maleficis & adulteris & periuris, & qui calumniantur me recedem mercenarij, & humiliant viduas & pupillos, & opprimunt peregrinum, nec timuerunt me dicit dominus exercituum. Audiat & illud quod in Amos propheta legitur: Pro eo quod diripiebatis pauperem, & prædā electam tollebatis ab eo, domos quadro lapide ædificabitis, & non habitabitis in eis: vineas plantabit is amantissimas, & non bibetis vinum earum, quia cognoui scelera vestra, & fortia peccata vestra. Igitur vel illa vobis o diuites quæ iniq̄ comparastis eripientur, vel vos illis, & spes omnis male partæ rei in contrarium vertetur. Intolerabilior tamen erit pœna inferni, quam vitæ præsentis calamitas. Cæterum neque illorum inulta erit auaritia, qui dicundi iuris fugientes officio, pecunia donisue corrupti iniuste iudicant, & quæstum magis quam æquitatē diligunt, eiusq̄ causam potiore habent qui plus dede-

Pro. 22.

Malach. 3.

Amos. 5.

Iudex.

rit. His per prophetam dicitur. Væ qui iustificatis impium pro muneribus, & iustitiam iusti aufertis ab eo. Et in Iob est scriptum: Ignis deuorabit tabernacula eorum, qui munera libenter accipiunt. Illi quidem libenter munera accipiunt, quos cupiditas illicit, non quos necessitas constringit. Neque enim peccauit Ioseph a Pharaone accipiens dona, neque Daniel a rege Babylonis. Vtrunq; diuina prouidentia contigit, ut populus Israel prius in Aegyptum confugiens, principem suae gentis haberet a quo aleretur, deinde in Chaldea captiuus, a quo protegeretur. Ideo isti nec honorem nec dona recusarunt, ut suis in necessitate succurrerent, non ut sibi opes aceruarent. Beatus est autem qui præceptum dñi obseruat, dicentis: Non consideres personam pauperis, nec honores vultum potentis, iuste iudica proximo tuo. Inuisus iudex est iuxta Iacobi apostoli sententiam, quae plus honoris defert diuiti superbo, quam pio pauperi & humili. Captator est profecto, non amicus, qui tantum diuitibus blanditur, laudat ut stipem eliciat, honorat ut lucretur. Cui autem verum diuitis potius est, non dona sequitur, sed iustitiam. Quam quoniam opibus præfert, ipse a domino honorabitur dicente propheta: Qui excutit manus suas ab omni munere, iste in excelsis habitabit. Munerum ergo auidus, & a recto auersus, non in excelsis, sed in ima habitabit inferni. Hæc fors etiam illo erit, qui se dei seruitio ideo dedicant, ut mammonæ, non ut deo seruiant, quibus ipse in euangelio respondens, ait: Quæritis me non quia vidistis signa, sed quia manducauistis de panibus, & saturati estis. Ab his enim episcopatus quæritur, ut numis arca impleatur, non ut bonum opus exerceatur: ut venter epulis repletus luxuriet, non ut Christus in paupere pascatur. ut mens inanis gloriæ vento inflata superbiat, non ut humilitate delecta deo placeat. De istis prophetare iussus Ezechiel ait: Væ pastoribus Israel, qui pascebant semetipsos. Nonne greges a pastoribus pascuntur? Lac comedebatis, & lanis operiebamini, & quod crassum erat occidebatis, gregem autem meum non pascebatis. Et quia magis pecuniæ

Isaiæ. 5.  
Iob. 15.

Ioseph.  
Daniel

Leuit. 15.

Iacob. 2.

Isaiæ. 53.

Presbyter

Iohan. 6.

Ezech. 34.

- quam animarum lucro inhiant, quod infirmum (inquit) fuit, non consolidastis, & quod ægrotum, non sanastis; quod fractum, non alligastis, & quod abiectum nõ redixistis; & quod perierat non quæstis. Talium auaritiã & per os Malachie prophetæ arguit, dicens, **Malac. 1.** Quis est in vobis qui claudat ostia, & incendat altare meum gratuito? Non est mihi voluntas in vobis, dicit dominus exercituum & munus non suscipiam de manu vestra. Licet autem in euangelio dicat, Dignus est operarius mercede sua, necessaria permittit, non superflua imperat. Si superfluis abundas, dispensatio tibi credita est, vt aliorum inopiam iuues, non abusus concessus vt voluptatibus perfruaris. Alienum est, quicquid supra necessitatem est: de quo in euangelio dicitur; Si in alieno fideles non fuistis, quod vestrum est quis dabit vobis? Tibi o sacerdos promissum est regnum cælorum si modo tibi credita recte dispensaueris; sin vero quod professus es, implere neglexeris, nec tibi quod a domino promissum erat dabitur, & dũ temporalia bona sectaris, amittes æterna. Domum enim orationis fecisti domum negotiationis, vedendo columbas, hoc est, spiritus sancti dona in quæstum conuertendo; cum Christus clamitet, dicens; Gratis accepistis, gratis date. An ad Apostolum confugies dicentem: Qui altario seruit, de altario viuere debet? sed de altario viuere tibi permittitur, non luxuriari, cum idem dicat: habentes victum & vestitum, his contenti simus. At tu cum multa possideas, plura concupiscis; nec tam tibi de salute plebis cura est, quam de exigendis pensionibus, de decimis oblationibusq; colligendis, pro his in ecclesia declamas pro his execrationum elogia valuis ecclesie affigis, ad cætera mutus, & illis similimus quibus dicitur; Væ vobis scribæ & pharisæi qui decimatis mentam & anethum & cuminum, & reliquistis quæ grauiora sunt legis iudicium & misericordiam & fidem, hæc oportuit facere & illa non omittere. Scriba es igitur & pharisæus, cum extigis pecuniam & non præstas doctrinam, cū de quæstu tuo cogitas, & eorum saluti qui tibi commissi sunt
- Lucæ. 16.**  
**Sacerdos.**
- 1. Cor. 9.**  
**1. Tim. 6.**
- Mat. 23.**
- Episcopi,**

non consulis. Excolas culicem quæ leuissima sunt curæ habens, & deglutis camelum, in ventrem negligentia demergens ea quæ maximi momenti esse deberet. Mercenarius non pastor es. Vides lupum venientem & fugis. Perit ille adulterio, ille vsuris, alius furto, alius odio, alius alio flagitio, & in tanto animarum periculo taces, obmutescis, hiscere non audes, & illos duntaxat perituros prædicas, qui decimas non soluerint, qui debitas ecclesiæ tuæ pensiones in tempore non attulerint & eidem legata interuerterint, perinde ac si non sit aliud peccati genus quod perdat homines, quam istud in quo opulentia tua patitur detrimentum. Cum tamen ijs qui egestate premuntur, non solum quod debent remitti debeat, sed etiam de rebus quas affatim collegisti. quantum opus est impendi. Detestabilis & illorum cupiditas, qui simulata sanctitate decipiunt, & vel pro ædificando sacello. vel pro peregrinationis voto perficiendo, vel pro aliquo alio pietatis opere exequendo æraflagitant, quasi non furti vel rapinæ sit genus, mædacio aliquid elicere, & in alium quam in quem datum est vsum cõuertere, Hi tanto grauius puniendi erunt, quanto fallacius egerint dicente domino: Qui deuorant domos viduarum sub obtentu proluxæ orationis, hi accipient prolixius iudicium. Execranda & negotiatorum auaritia, qui nec fœnore abstinēt, nec merces adulterare timent, pondere quoq; & mensuris fallunt alia statera vendentes, alia ementes, neq; eos pœnitent aut pudet dolo ac fraudibus niri vt lucrentur. Aduersus istos iratus dominus per Micheam prophetã vociferatur & ait: Adhuc ignis in domo impij thesauri iniquitatis, & mensura minor iræ plena, nunquid iustificabo stateram impiam & sacelli pondera dolosa? Deniq; minatur facturum se, vt congregatæ tanto flagitio opes fiant hostibus in prædam, & ipsi opus domini in captiuitatem. Horum etiam in Amos propheta dolos ac malignitatem detegit: dicens, Audite hoc qui contemnitis pauperem, & deficere facitis egenos terræ dicentes, q̃do transibit messis, & venūdabimus merces & sab

Hypocri-  
ta.

Mar. 12.

Negotia-  
tor

Miche. 6

Amos. 8.

batum, & aperiemus frumentum, vt minuamus mensuram, & augeamus siclum, & supponamus stateras dolosas, vt possideamus in argento egenos. & pauperes pro calciamentis & quisquilias frumenti vendamus. Ac ne frustra talia obiecisse videatur, iurat q̄ lugebūt, & dolore supplicij persoluent. quod cum delectatione lucri perpetrarunt.

## De vana diuitum spe.

## Cap. XVIII.

Genz.  
Iudas.

Luce. 12

Psal. 51.

1. Tim. 6

**N**emo igitur diu se fruiturum male partis rebus confidat, sed quo plura inique congerit, eo miserabiliorem finem expectet. Timeat pœnam Giezi, timeat exitum Iudæ, alter mendacio munus extorsit, & reuersus est leprosus, alter iustum vendidit, pro argento, & laqueo vitam finiuit. Ille q̄ quem purpura regebat, quem q̄tidiana saginabant cōuiuia, in inferno sepultus, in flāmis ardens totus, frustra guttā aquæ petiit, q̄ linguam tm̄ refrigeraret. Diues ille alter, q̄ frugum hubertate lætatus dilatare cogitabat horrea, & in annos multos opulenter viuere, statim audiuit. Stulte, hac nocte aiā tuam repetēt a te, q̄ aut̄ parasti cuius erunt? Sic est, inqt, q̄ sibi thesaurizat, & non est in deū diues. De isto in psalmis dī. Videbunt iusti & timebūt. & sup̄ eum ridebunt, & dicent. Ecce homo q̄ non posuit deū adiutore suū, sed sperauit in multitudine diuitiarū suarū, & p̄ualuit in vanitate sua. Ideo Apostolus ad Timotheum Diuitibus, inqt, huius seculi p̄cipe, non sublime sapere, neq̄ sperare in incerto diuitiarū, sed in deo viuo, q̄ p̄stat nobis oīa abūde ad fruendū, bñ agere, diuites fieri in bonis opibus, facile tribuere, communicare, thesaurizare sibi fundamentum bonū in futurū. Qui vult ergo in deū diues esse, non sibi thesaurizet, sed inopiæ alicū. In deum diues est, qui charitatis opibus abundat, non q̄ rebus opulentus incedit. Esurientes & sitiētes iustitiā, dñs implet bonis, diuites autē auaros dimittit inanes. Quid p̄ sunt auaro diuitiæ, si custos illarū

est non dñs? Quid deniq; p̄sunt diuitiæ stulto, cum sapi-  
entiam emere non possit? Multæ opes nunquam aut ra-  
to admodum queunt cuiquam nisi scelere constare. Nā  
qui iuste acquirit & moderate expendit, nec diues erit  
nec pauper. Qui autem ingētes quæstus faciunt, supra  
que modum locupletantur, & iniqui & auari sint ne-  
cesse est. Quod si tā multa ab aliquo alio sibi relicta pos-  
sident, hæredes iniqui sunt, & si his male vtuntur, ipsi  
etiam mali sunt. Ex quo colligitur multum diuitem bo-  
num esse non posse. Quæ igitur amentia est, illa concu-  
piscere, quæ non nisi cum virtutum detrimento queant  
acquiri? Melius est parum cū timore domini, quam  
thesauri magni & insatiabiles. Hæc q̄dem sententia sa-  
pientissimi Salomonis est, cuius & illa ad deum suppli-  
catio, Nec diuitias, nec paupertates dederis mihi, sed tā-  
tum victui meo tribue necessaria. Quod autem reges  
omnium semper opulentissimi sunt, hoc ideo fit, quia  
regum opes non tam suæ quam populi sunt. Eorū quip-  
pe impensis plebes tute degunt, ab hostium iniuria pro-  
teguntur, in rerum vitæ necessariorum copia cōseruan-  
tur. Quemadmodum autem communi vtilitati expo-  
sita esse debet principis opulentia, ita & priuatorum di-  
uitiæ adiumento sint egestati alienæ. Alioquin & ipsi  
diuites egebunt ac miseri erunt. Quid enim illo miseri-  
us, qui inops virtutis est? qui cum diues sit, meritis ca-  
ret liberalitatis, quæ beatos efficiunt, et auaritiæ vel lu-  
xuriæ grauatur vitijs, quæ mergunt in profundum. Ta-  
lium infelicitatem dolēter ingemiscit in euangelio do-  
minus, dicens, Væ vobis diuites qui habetis consolatio-  
nem vestram. Consolantur enim, quoties quæstum fa-  
ciunt, vel cum quæstis ad voluptatem abutuntur. Hos  
etiam iacobus apostolus lugubri voce aggreditur, &  
ait, Agite nunc diuites, plorate vlulantes in miserijs ve-  
stris, quæ aduenient vobis: diuitiæ vestræ putrefaci-  
entur, & vestimenta vestra a tineis comesta sunt, aurum  
& argentum vestrum eruginauit & erugo eorum in te-  
stimonium vobis erit, & manducabit carnes vestras  
sicut ignis. Thesaurizastis vobis iram in no-

Prouer. 15.

Prouer. 30

Rex.

Luca. 6.

Iacobi. 5.

Pfal. 33.  
Eccl. 5.

Ezec. 7.  
Apoc. 3.

Apo. 18.

Auaritia

missimis diebus: ecce merces operariorum, qui messuerunt regiones vestras, quae fraudata est a vobis, clamat, & clamor eorum in aures domini sabaoth introiuit. Epulati estis super terram, & in luxurijs enutristis corda vestra, in die occisionis adduxistis & occidistis iustum, & non restitit vobis. Talia considerans vas electionis Paulus, Radix (inquit) omnium malorum est cupiditas. Ad damus his & alia, si forte diuinæ sapientiæ veritate sapius pulsati resipiscant, In psalmo dicitur. Diuites eguerunt & esurierunt, inquirentes autem dominum non inuentur omni bono. In Ecclesiaste Salomon ait. Auarus non impletur pecunia, & qui amat diuitias, fructum non capiet ex eis. Leuius ac tolerabilius esset, fructum non capere, nisi sequeretur supplicium, dicente Ezechiele propheta. Argentum eorum & aurum eorum non valebit liberare eos in die furoris domini. In Apocalypsi angelo Laodicia ecclesiae dicitur. Dicitis, diues sum & locupletatus, & nullius egeo, & nescis. quia tu es miser & miserabilis, & pauper & cæcus & nudus. Quis enim finis luxuriæ diuitum, nisi quem eodem libro scriptum legimus? Quantum glorificauit se & in delicijs fuit, tantum dare illi tormentum & luctum. Quanto melius cum isto actum fuisset, nescisse diuitias, inopem mendicumque vixisse, & in miserijs potius quam in delicijs duxisse ætatem: sed quo diutius in delicijs impune vixit, eo infelicius cecidit. Beatum se putabat, quod sibi prospere succederent omnia, ideoque licentius peccabat, ideo tenuit eum supbia, opertus est iniquitate & impietate sua, prodit quasi ex adipe iniquitas eius, transiit in affectum cordis sui, nunc in tormentis positus audit. Memento quia recepisti bona in vita tua, pauperes autem quorum non es misertus, patiebantur mala, tu nunc cruciaris, illi consolantur. Cumque hoc ita sit, eo tamen processit ista auri sacra fames, ut quæ natura salutis hominis consulens terra occultauerat, ea fossionibus in profundum actis eruere cœperunt, montes cuniculis subruuntur, & homo cælum suspicere genitus, vltro se in ima telluris immergit, nec supra se pendentem metuit molem, nec



Post se relictum solem quicquam æstimat, per menses plurimos perpetuam noctē sustinet, vt argentum aurū que in suam ipse perniciem proferat. si modo qđ multis contigit, non ante fuerit oppressus ruina, seq̄ repente cum opibus quas collegerat, sepeliat. Frumenta, vinum, oleum, linum, lanam, cæteraq; vitæ nostræ necessaria in aperta nobis fruenda obtulerat deus, cætera tãquam noctura latere volebat. Ideo autem & ista creauit, vt sicut eorum qui oblati contenti sunt nota est modestia, ita illorum qui etiam occultata scrutant, manifesta esset cupiditas, & qui ex parte sui sunt, etiam a nobis dinoscerentur.

Quod auaritia multorum causa  
sit malorum Cap. XIX.

**Q**uam autem multorum malorum causa sit immodica cupiditas quis explicet? hominem aduersus hominem ire compulit, hinc insidiæ, hinc latrociniã, hinc bella mutuaq; cædes, dum nostro non contenti aliena concupiscimus: hinc inter coniunctissimos lites, inter amicissimos dissidia, & citius ad eadẽ hæreditatis gratia ipsorum parentum desideratæ mortes. Laban Iacob nepotem suum osculatus hospitio susceperat, generum suum fecerat, & ille iam bis septem annos ei seruerat. Fatebatur Laban qđ propter ipsum a domino sibi auctæ opes fuissent. At vero postquam vidit re pecuaria in primis ditatum, inuidere ei cœpit, quem tantopere dilexerat, & discedentem persecutus est manum innocenti intecisset, amicitia propinquitatis officiorumq; oblitus, nisi somno deterretur propositum inhibuisset. Amorem ergo quem paupertas conciliauerat, opulentia distraxit. Tabremõ quoq; Syriæ rex (vt in libro Regum legitur) ex amico inimicus factus Baselorum vero ne fratribus quidem pepercit, vt eorum bona usurparer, vita ipsos priuauit. Iudas etiam (vt veteribus noua copulemus) a domino ascitus apostolus, miracula operandi facultate ab eodem donatus, sacræ cõ-

Laban  
Gen. 31.

3. Reg. 15.  
2. Par. 21  
Iudas.  
Schariotis

Iere. 41  
Godolias.

Titī mili-  
tes.

Hirtacus  
Herodes.

munionis particeps factus, osculo exceptus, quia tñ pe-  
cuniæ avidus fuerat. triginta argenteis illum vendidit  
a quo iam tot beneficia acceperat. Neminem itaq; vere  
diligunt hi, quibus habendi cupido dominatur. Si qua  
enim lucri spes accesserit, continuo grassantur in eos,  
quos videbantur diligere. Nam & Godolias Ismahelē  
domi suævt amicum exceptit conuiuio, & eundem inter  
epulas iugulauit, nec hospitalem mensam amici cruore  
fœdare timuit, qui aliena occupare concupiuit. Profe-  
ram adhuc magis cruentum exemplum, sed min⁹ ratio-  
nis compositis vulgi. Tiro Hierosolymam obsidente, plu-  
rimi ex Iudæis fame compulsi ad Romanos transfugie-  
bant (vt Iosephus autor est) percrebuit fama transfu-  
gās aurum haustum ventre gestare cum a suis ne qd ef-  
ferrent excuterentur: ob hoc a militibus Romanis clā  
excepti laniatiq; exenterabant, quærebaturq; aurum in-  
tra cæforum viscera, nec fortasse inueniebatur. Hac ra-  
men de causa ad duo millia hominum vna nocte peris-  
se constat, plures perirent, nisi re comperta Cæsar sce-  
lus edito compescuisset. Quid hac atrocius immanita-  
te, incertas opes certa vltro se dedentium cæde quære-  
re? Plebis tamen mercede militantis ista auaritia, illave-  
ro regum. Hirtacus enim prius, deinde Herodes Iudææ  
reges, aperuisse feruntur sepulchrum Davidis regis, the-  
saurum cum illo conditum rati. Scilicet non satis erat  
humanæ cupiditati prædam capere ex viuis, vel ex in-  
teremptis spolia, latentia quoq; in monumentis cadaue-  
ra excutere cœpit, sed & hoc quidem minus mirū, quan-  
do iam nec aris nec templis deo dicatis parcitur. No-  
stra ætate contigit Christianorum ecclesias a Christia-  
nis profanari, aurum argentumq; deo consecratum per  
vim auferri, perinde ac si aduersus deum, & non tātum  
aduersus homines bellum geratur. Quasi ꝑo non idem  
Christus sit illorum qui oppugnantur, & eorum qui op-  
pugnant, cum vtriq; eius qui vnus est nomine censean-  
tur. Sed profecto nulla ibi religionis ratio ducitur, vbi  
auari animi nihil nisi quod rapiant attendunt. Quam-  
uis autem multa de prædentur, multa parent, multa vn

dique congerant, nunquam tamen fatiantur, semper re-  
 stat quod aceruo addi cupiunt. Nec minus huic vitio ob-  
 noxi sunt, qui liberis neporibusq; abundant, quam qui  
 soli sunt. Qualem Ecclesiastes admiratur, dicens: *Vnus* *Ecclesi. 4.*  
 est, & secundum non habet, non filium, non fratrem, &  
 tamen laborare non cessat, nec fatiantur oculi eius di-  
 uitijs, nec cogitat dicens: *Cui laboro & fraudo animam*  
*meam bonis?* Sed qui eiusmodi sunt, ihs per Isaiam mina-  
 tur dominus & ait. *Vae qui coniungitis domum ad do-* *Isai. 5:*  
*rum, & agrum agro copulatis vsq; ad extremum loci.*  
*Nunquid habitabitis soli vos in medio terrae? Quid e-*  
*nim nisi solus habitare velle videtur in terra, qui so-*  
*lus cuncta possidere concupiscit? Hic sane hydropici*  
*est morbas, qui eo plus sitit, quo plus biberit. Sed si ac-*  
*cesserit ad lesum, curabitur, sin contempserit, peribit.*  
 Achan, quia de anathemate tulerat pallium argenti- *Iosu. 7.*  
 que aliquid & auri, dei iussu lapidatur. Principes So- *Iudi. 8.*  
 chor, qui Gedeoni panem negauerant, super spinas & *3. Reg. 17:*  
 tribulos conteruntur. Adurandum tribura exigit, lapi- *3. Reg. 22:*  
 dibus obruitur. Achabi regis, qui vineam Naboth ipso  
 interfecto possederat, sagitta interempti sanguinem,  
 iuxta Eliae vaticinium, linxerunt canes. Heliodorū qui *2. Mach. 15:*  
 a Seleuco missus templi thesaurum auferre moliebatur *Seleucus*  
 equites diuinitus apparentes flagellis ceciderunt. Ipse  
 Seleucus dum pecunias ab Inopsuestenis (vt Iosephus  
 tradit) cupide exigeret, cum regia cumq; omnibus qui  
 in ea conuenerant simul concrematur. Cessauit in illo  
 ardere auaritia, maiore ignis ardore extincta. Hæc in  
 lege, illa in euangelio. Iudam cupiditas ad laqueū vsq;  
 perduxit, Ananiam & Sapphiram morte pdidit repenti *Iudas.*  
 na. Simonem magum prius maledicto, deinde nece affe- *Ananias*  
 cit. Porro tam perniciosus est morbus iste, vt non mo- *Sapphira*  
 do corpora spiritu priuet, verum etiam spiritum ipsum *Simon magus*  
 morti obijciat æternæ, dicente Salomone, Semitæ omnis *Prou. 11.*  
 auari animas possidentium rapiunt. Quod si camelus  
 facilius transibit per foramen acus, quam diues in re-  
 gnum caelorum, nullus amanti diuitias speradæ salutis

Lucæ. 14.

relinquitur locus. Vbi est thesaurus eius, ibi & cor eius. Inuitatur quidem ad cælestie conuiuui; sed quia toto animo terrenis reb<sup>9</sup> inhæret, respondet inuitanti. Villam emi, boues parauit, vxorem duxit, non possum venire, habe me excusatum, itaq; indignum se præstat perenni bono ad quod vocatur, dum pluriis æstimat fragilia & caduca, quæ illū de præsentibus delicijs ad futura transferent supplicia, vnde iam neq; diuitijs redimi poterit, nec potentia virium suarum liberari. Ideo illi per prophetam dicitur. Cum clamaueris, liberent te congregati tui, hoc est, nummi quos tam anxie parasti. Omnes eos (inquit) auferet ventus, tollet aura, & ne pœnæ causa lateat, iudicis vox auditur, dicentis. Propter iniquitatem auaritiæ eius iratus sum, & percussit eum. Nec im merito bonorum largitor deus auaritia nostra irritat,

Isa. 57

quandoquidem vitij huius hoc præcipuum malum habetur, quod a diuinorum cultu nos auertat, & cælestium bonorum meminisse non permittat. Hoc testantur domini verba per Isaiam dicentis. Verbum domini proiecerunt, & sapientia nulla est in eis, propterea dabo mulieres eorum exteris, agros eorum hæredibus, atque vnde impietas contemptusq; eorum oriatur ostendens adiecit. Quia a minimo vsq; ad maximum omnes auaritiā sequuntur. Per Osee quoq; prophetam talibus minatur, dicens. Iuxta pascua sua adimpleti sunt. & saturati sunt, & eleuauerunt cor suum, & oblitī sunt mei, & ego ero eis quasi læna. Semen quippe verbi dei in spinis cadit & suffocatur, cum diuitum auribus exceptum. curis huius seculi mentem occupantibus nequit fructum facere. Tunc enim (vt Ecclesiastes ait) pecuniæ obediunt omnia, actio, oratio, cogitatio, & omnes reliqui sensus ad quæstum intenti, vitæ sanctioris disciplinam non admittunt, quibus dicitur. Non potestis deo seruire & mammonæ. Qui ergo cumulandis opibus incumbit, dei cultum deserat necesse est. Quod si quando opum studiosi ad ecclesiam conueniant, corpore in templo sunt, animo in foro versant, totus de mercimonijs sermo est, & dum recitantur dei verba, illi de nundinis

Isai. 8.

Osee. 13

Eccl. 10

Luc. 16

inter se colloquuntur, digni domini flagello efficiunt eos, ac dicentis, Domus mea domus orationis est, vos autem fecistis illam speluncam latronum. Hi sunt filii Ephrem non deum verum, sed vitulos aureos adorantes, cum aurum argentumque pro dijs habeant, & de illis quoque dici queat, quod in Osee propheta scriptum est, Aurum suum & argentum suum fecerunt sibi idola, ut interirent. Unde etiam Paulus auaritiam simulacrorum seruitutem appellat. Si enim illorum qui gulæ indulgent (iuxta eundem Apostolum) deus venter est, cur non pecuniam eorum deum esse dixerimus quibus nihil charius est pecunia? Nam si quando aliquis fidelis disciplinæ præceptor in illicitos contractus, in vsuras, in immodicam lucrandi cupiditatem inuectus fuerit, indignatur reclamant in furorem vertuntur non minus quam artifices illi Ephesiorum, cum Pauli prædicationibus idola destrui vidissent, quæ ipsi conficiendo lucrabantur. Dolebant enim non religionis vanæ dispendium, sed artis suæ detrimentum. Diuitum præterea vitium est, alijs inuidere, inani gloria duci pro beneficio, gratiam non referre, mendacijs niti, mortis recordatione contremiscere nec tamen ideo fieri meliores. Inuidet diuitioribus, immo & æqualibus, utque alios opulentia superent, fœnore ac rapinis rem quærere fas putant. His psalmista imprecatur, dicens: Præcipita domine & diuide linguas eorum, quoniam vidi iniquitatem & contradictionem in ciuitate die ac nocte, & non defecit de placentis eius vsura & dolus. Præcipitari eos in infernum petit, non voto odii, sed præscientia futuri. Tunc enim & linguæ eorum in diuersum diuidentur, cum præter spem opes illas, in quibus confidebant, repente derelinquere cogentur. Idem gloriæ auidi, sardonichatas manus & Sericas vestes vulgo ostentant, ut honorentur, quibus illa Magonis Vergiliani verba conueniunt:

Est domus ampla iacent penitus defossa talenta  
Cælati argenti, sunt auri pondera facti  
Infectique mihi

Qua iactantiæ vanitate cum Ezechias quoque qui iustus Ezechias.

3. Reg. 12.

Osee. 8.

Colos. 3.

Actu. 9.

Diuitiū vitium.

Psal. 54.

- erat peccauerit, quomodo poterunt iniqua ea carere, qui certe magis opibus quam virtute clari esse cupiunt? Sed quantum volunt gloriantur, cum interierint, non sumunt omnia, neque descendet cum eis gloria eorum, nudos & fortunæ & animi bonis gehenna excipiet: tanto miseres futuros, quanto sibi videntur feliciores. Recte itaque admonentur a domino per Ieremiam dicente, Non gloriatur sapiens in sapientia, & non gloriatur fortis in fortitudine sua, & non gloriatur diues in diuitiis suis, sed in hoc gloriatur qui gloriatur, scire & nosse se, quia ego sum dominus qui facio misericordiam & iudicium & iustitiam in terra. Ingratos etiam facit habendi auiditas, non attendunt quantum acceperint, sed quantum ipsi appetierint, & quoniam nullum beneficium æquare potest avari hominis cupiditatem, immemores beneficiorum fiunt. Nabal diues pecudum & agri, parum quid petenti Dauidi nihil dedit, oblitus quod ille paulo ante & gregem eius & pastores ab aliorum iniuria defendisset. Non perpendebat Nabal quid de se meritis esset Dauid dum ne quid de opulentia sua minuat timeret. Ideoque illos qui a Dauide missi fuerant, non solum vacuos rebus dimisit, sed etiam cum probro repulit. Ac fere tales diuites sunt, si quod offerunt, libenter accipiunt, si quid repetitis, indignantur. De his in Ecclesiastico dicitur: Donec accipiant, osculantur manus dantis, & in promissionibus humiliant vocem suam, sed in tempore redditionis loquentur verba contumelie & murmurationum. Ad hæc nihil illis fallacius est, Qui enim diuitias amat, nec peierare timet, nec alios fraude circumuenire dubitat, nec eum omnino aperte mentiri pudet, si quid ex eo se facturum lucri credit, neque quisquam est, qui in leuissimis etiam rebus tam facile iurat, quam diues avarus: tunc autem maxime, cum re sua fore sperat, si verbis fecerit fidem. Nullum potest timidius est animal ad expectationem mortis. Purat se statim decessurum, si febriculæ igne correptus incaluerit. Ad medicos curritur, nisi & hoc avaritia uerit. Ille interim pauidus ingemiscit, luget, anxiatur
- Ierem. 9.**
- Ingrati.**
- Nabal.**  
**1. Reg. 25.**
- Eccle. 29.**
- Fallaces.**
- Timidi.**

& tristius sibi videtur a diuitiis quam a corpore discere. Inde scriptum est: O mors, quam amara est memoria tua homini pacē habenti in substantiis suis. Torquetur cogitans cui illas relinquat, quā illis post se fruatur, quas ipse tanto labore quæsiuit, tanta solitudine auxit, tanta parsimonia ne minuerentur sustentauit. Tum si forte in mentem venerint usuræ, fraudes, rapinæ, quibus in acquirendo usus est, magis nequitia suæ conscientia cruciabitur, de salute desperans, seque iusto dei iudicio mox damnandum videns. Turbabitur enim (vt Psalmista ait) a facie eius patres orphanorum & iudices viduarum, id est, qui miserorum tutelam suscipientes, bona eorum per dolum usurpant. Turbantur, quia se reos esse non ignorant vna cum illis qui inferno sunt computandos. Quod si in lege Ammonites & Moabites ab ecclesia domini repelluntur, quia noluerunt occurrere Israelitis cum pane & aqua, quanto magis isti qui etiam aliena iniuste possident, hæreditate regni cælestis indigni erunt? Tot avaritiæ mala considerans apostolus, dixit, Qui volunt diuites fieri, incidunt in temptationes & laqueum diaboli, & desideria multa & nocua, quæ mergunt homines in interitum & perditionem. Radix enim omnium malorum est cupiditas, quam quidam appetentes, errauerunt a fide, & inseruerunt se doloribus multis.

Eccle. 41.

Psal. 67.

Deut. 23

1. Tim. 6.

## Ad diuites exhortatio

## Caput xx.

**R**espiscite igitur ac ppendite diuitiarum mala diuites, & iam non ad luxuriam his utimini, sed ad liberalitatem. Si diuitiæ affluant, nolite cor apponere, si desunt, nolite concupiscere. Quænam stultitia est id appetere, quod neque seruos repudiat, neque reges satiat, & tot malorum quæ diximus, immo plurimum quæ diximus causa sit, aut si nihil ex opulentia mali metuitis, hoc saltem negare non potestis, quod omnis terrena possessio fluxa atque fragilis sit semper citius de manibus elabitur, quam retinenda sperat. Cuius rei Salomon non ignarus, cum imensas opes & cuius

- Eccls. 1.** que generis voluptates sibi comparasset, exclamauit: Vanitas vanitatum, & omnia vanitas. Detestatusque est industriam suam in accrendo, incertus de hærede, & certus nihil diu permansurum sub sole. Audite ergo dñm
- Mat. 6.** salutis vestræ consulentem. Nolite (inquit) thesaurizare vobis thesauros in terra, vbi ærugo & tinea demolit, & vbi fures effodiunt & furantur. Thesaurizate autem vobis thesauros in cælo, vbi nec ærugo nec tinea demolitur, & vbi fures non effodiunt, nec furantur. Ipsis quos in suum elegit consortium præcepit, ne aurum vel argentum possiderent, nec pecuniam in zonis, nec peram in via, nec duas tunicas, neque calciamenta, neque ygam: & quisquam opes opibus cumulando, ei se placitum confidit: Si seruus Christi es, cur ille pauper, & tu diues es. Si discipulorum eius locum tenes, cur illorum paupertatem non imitaris? Quid tibi prodest si vniuersum mundum lucreris, & animæ qua nihil pretiosius est detrimentum patiaris. Igitur dilargiris tandem istis caducis labilibusque rebus, ad æterna & nunquam defutura bona mentem erige, & cum Dauide deum deprecare: Inclina cor meum in testimonia tua, & non in auaritiam. Atque ita domini suffragante gratia vincas improbas habendi appetitiones, præceptumque implebis in euangelio dicentis, Videte & caute ab omni auaritia, quia non in abundantia cuiusquam vita eius ex his quæ possidet. Vt videlicet aliquis ob hoc quia diues est, aut diutius viuat in terra, aut felicius in cælo. Vitæ enim æternæ præmia, non opulentia dantur, sed virtuti. Dissolue colligationes impietatis, solue fasciculos deprimentes, vt pondere auaritiæ liberatus, leuis & alacer expansis obseruatiæ in paupes benignitatis pennis tollaris in cælum, & ab illis in superna tabernacula recipiaris, quibus hic benefeceris, & tandem ad dominum conuersus dicas, Quæ est expectatio mea? nonne dominus? & substantia mea apud te est?
- Psal. 118.**
- Luce. 12**
- Psal. 38.**

De beneficijs conferendis vt deo  
similes simus. Cap. XXI.



**P**ost eleemosynarum dissertationem, de alijs etiam beneficiis restat quærendum, tam in dando quam in accipiendo gratiaque referenda. Dare beneficia, deum imitari est, cum dei natura maxime benefica atque benigna sit. Iam primum ut in psalms dicitur, fecit cælos in intellectu, firmavit terram super aquas, fecit solem, lunam, stellas, ignem, aera, ventos, diem, noctem, ver, æstatem, autumnum, hyemem, fecundavit humum fructibus, herbis, arboribus distincti fluminibus, ligavit montibus, ditavit metallis, ornauit gemmis, repleuit bestiis: Omnis generis animalia constituit, alia quæ aerea peruolarent, alia quæ per terram reperent, alia quæ in aquis natarent, Cuncta denique quæ videmus, & quæ non videmus, ipse dixit & facta sunt, ipse mandauit & creata sunt. Cui autem ista seruirent, quiq; istis præesset atque dominaretur, hominem ipsum formauit. Cuius dignitatem & excellentiam propheta cõtemplatus, & ad autorem suum conuersus in vocem prorupit, dicens, Quid est homo quod memor es eius aut filius hominis quoniam visitas eum. Minuisti eum paulo minus ab angelis, gloria & honore coronasti eum, & constituisti eum super opera manuum tuarum. Oia subiecisti sub pedibus eius, oues & boues vniuersas, insup & pecora cãpi, volucres cæli & pisces maris, qui perambulant semitas maris. Vt autem omnia subiecta essent homini, intelligentia, ratione, sapientia, & cogitationum interprete lingua eum insigniuit, ac sibi in parte similem reddidit. Eidem leges præceptaque dedit, per quæ veram æternamque beatitudinem consequi posset, de terra trãslatus in cælum, de corruptione ad incorruptionem, de mortalitate ad immortalitatem. Atque etiam ut post peccationem, per quam a tanto exciderat bono, pristina gratiæ statum eidem repararet, filium suum vnigenitum misit, qui humanæ mortalitatis carne assumpta pro homine se deo patri in sacrificium obtulit, omnesque per primorum parentum culpam sub maledicto venditos suo ipse sanguine redemit, etiam in ingratos

Dei beneficia.

Psalm. 135

Psalm. 8.

Psal. 115.

beneficus, & in delinquentes pius. Primus in se creden-  
tibus regnum cæleste promittere cœpit. Primus pec-  
nitentibus paradisi ianuam aperuit, quo primus deui-  
cta morte cum corpore ascendit, vt sequentibus para-  
ret locum, & post se per sua incedentes vestigia clemē-  
ter susciperet, omniumque bonorum quæ homini tri-  
bui decens fuit, faceret consortes. Tot tantisque bene-  
ficijs dignam referre gratiam non est opis humanæ, qu-  
bus etiam propheta se imparem confitetur, dicēs: Quid  
retribuam domino pro omnibus quæ retribuit mihi?  
Sed quoniam ipsi melius quā nobis nota est inopia no-  
stra, nihil aliud exigit, nisi vt in eum credamus, ei ser-  
uiamus, eius mandatis legibusque pareamus. Hoc si præ-  
stabilimus, neque benefecisse nobis illum pœnitebit, ne-  
que ea quæ pollicitus est pigebit exhibere, ac tanto qui-  
dem libentius hoc faciet, quanto nos magis in impar-  
tienda proximis nostris humanitate exerceri viderit.  
Is enim proxime ad similitudinem eius accedit, cui  
potissima cura est operum charitatis. Hunc igitur se-  
quamur, hunc ipsum quam possumus diligētissime imi-  
temur, beneficia tribuendo, sicut ipsum & fecisse & fa-  
cere nouimus, tam petentibus quam non petentibus, tā  
inimicis quam amicis, tam ingratis quam gratis. Ille  
Paulum non supplicentem, imo repugnantem & inuitū  
ad se conuertit, & de persecutore Apostolum suū fecit.  
Alijs vero supplicantibus & sanitates restituit, & pecca-  
ta donauit. Idem amicis bona largitur æterna; pro ini-  
micis, a quibus crucifigebatur orauit. Et Iudæ non in-  
grato solum, sed etiam malum pro beneficio reddenti,  
sui corporis mysteria obtulit, pedes lauit, osculum non  
negauit, nulla denique beneuolentiæ signa subtraxit.  
Si ergo similes Christo effici cupimus, vt debem⁹, omni-  
bus si fieri potest benefaciamus, lædamus neminem.

## De beneficijs dispēsandis. Cap. XXII.

**P**etentem obligant beneficia, non petentem prouo-  
cant: amicos cōseruāt, inimicos recōciliāt, gratos  
delectāt, ingratos assiduitate emēdāt. Nō sunt ta-

men omnia danda, siue illa petantur siue non petantur :  
 sicut etiam de eleemosynis est dictum, beneficiumque  
 erit nolle dare, quod nociturus esse noueris, licet roget il-  
 le, licet instet, licet indignetur, tu pernega. Illud autem  
 dicitur, quod non solum accipere eum delectet, sed etiam ac-  
 cepisse. Si enim quod male cessurum est dederis, gratias  
 tibi ager, donec iudicio officit affectus, cum autem dam-  
 num sentire cœperit, execrabitur, & amici gladio se pe-  
 rire clamitabit. Sin vero non dederis, quamprimum du-  
 rum te & inexorabilem amicis conqueretur, deinde cū  
 ad se rediens, causam negationis iustam fuisse cognoue-  
 rit, vere se abs te amari fatebitur, & tibi debebit, quod  
 postulata non concedendo eū periculo eripueris, in quō  
 velut effrenis equus impetu ferebatur. Atque hanc qui-  
 dē ob rem ipse bonorum oīm distributor deus non om-  
 nia orantibus præstat, alius poscit diuitias, alius pro-  
 speram corporis valetudinem, alius magistratum, &  
 ipse qui nouit quem finem singula habitura sint respon-  
 det, nescitis quid petatis. Fit enim sæpenumero ut ta-  
 lia adepti, animæ suæ detrimentum patiantur. Quod er-  
 go fortasse concederet iratus, denegat propitius, & ne-  
 scimus. At vero si in eum qui nihil petit vltro benefi-  
 cium contuleris, plus tibi gratiæ habebitur, quam si ro-  
 ganti non negasses. Bis esse gratum aiunt, quod opus ē  
 si vltro offeras. Eum præterea quod iusta petit & re ipsa quod petit  
 satis indigere videt, promissis ne in longū trahas, cū pro-  
 tinus possis tribuere; dilatum beneficium minuit grati-  
 am, cito datum auget. Hinc est præceptum illud Salo-  
 monis : Ne dicas amico tuo vade & reuertere, & cras  
 dabo tibi, cum statim possis dare. Minus offendes peti-  
 ta quam primum denegando, quam postquam promi-  
 seris de die in diem producendo. Dum enim quod po-  
 scienti pollicitus es præstare remoraris, ille interim ab  
 aliquo alio fortasse recepisset, sed tibi credens tentare  
 aliorum beneuolentiam superuacaneum sibi iudicauit  
 quod si nihil tunc demum cum datum oportuit dederis  
 non solum quod ipse spopondisti ei denegas, sed etiam,  
 quod alius facile tribuisset auferas. Dum enim ille expectat

Prou. 5.

dum sperat, dum iam dubitat, atque de promissoris fide ambigit, & petendæ aliunde rei tempus amisit, & occasionem fruendæ, denique quicquid ex eo sibi incommo- di accessit, tua causa passus est. Aut ergo statim da quod petitur, aut statim nega, aut si tam cito dare nequie- ris, diem certum constitue quo daturus es, & ipsum ne prætereas, ut ille sciat, an e re sua erit, tãtisper expecta re. Suspensum autem tenere expectantem, & cras atque ali- ud cras absque promissi satisfactione elabi sinere, nõ be- neficium est, sed iniuria, & breuiter simulator est, non amicus, qui promittit quod non est facturus. Beneficiũ merentibus dare, accipere est. Nemo enim non magis il- lius iudicium q̃ beneficiũ laudat, qui digno dedit, atque in hoc maxime deum imitatur, cum deus ipse in optimũ quemque maxime beneficus sit, nec nisi bene de se meren- tes ad beatitudinis gloriam faciat ascendere. Ideo in Ecclesiastico est scriptum, Bene fac iusto, & inuenies re- tributionem magnam, & si non ab ipso, certe a domino. Eligas igitur oportet cui præcipue benefacias, ut bene- ficijs bene recteque collocatis, & amicos tibi compares, & deum magis demeraris. Ut autem quisque maxime indiget, ita & maxime erit adiuuandus. Qui vero ditio- rum delectum facit, quibus beneficia impendat, non amicus est, sed fenerator. Usuram enim cũ sorte simul exigere videtur, qui locupletioribus donat, dignus de- cipi, quoniã de recipiendo cogitauit cũ daret. Cæterum inimicis quoque benefacere iubemur, dicente domino, Benefacite ijs qui oderunt vos. Et Apostolus: Si e suri erit (inquit) inimicus tuus, da ei cibum, si sitierit, da ei potum: hoc faciens congeres carbones super caput eius: ut videlicet qui odij duritia concretus est, postquã tuo beneficio fuerit superatus, lique scat ardore charita- tis, & similitatem in beneuolentiam conuertat. Ne in- gratis quidem subtrahenda sunt beneficia, quamuis e- nim illi non referant gratiam quam debent, referet il- le qui nullum bonum sua fraudat mercede, qui solem su- um oriri facit super bonos & malos, & pluit super iu- stos & iniustos.

Eccle. 12.

Matt. 5.  
Rom. 12,

Qualiter nos gerere debemus in  
dandis beneficijs. Caput. XXIII.

**I**N omnes itaque beneficia conferenda sunt, sed tamē  
vt quo cuique opus fuerit, quodq; cuique conuenie-  
rit detur, & merita singulorum spectanda erunt &  
necessitates & ingenia. Dignis non solum vitæ subsidia,  
sed etiam honores atque officia deferantur. Inopes ci-  
bo, poru, tegumento, tecto iuuentur. Amici & parentur  
beneficio & foueantur. Inimici ita palpandi demulcen-  
dique sunt, vt ad placabilitatem inclinentur. Cum in-  
gratis quoq; sic agendum, vt in ijs veteris beneficentiæ  
obliuionem nouæ discutiat refricatio. Nam veluti ar-  
ua minus fecunda, si sæpius finum irrigationemq; re-  
ceperint, frugifera efficiuntur, ita ingratus recentibus  
admonitus beneficijs præterita quoque atque oblitera-  
ta ad memoriam reuocabit, & verecundia compulsus  
de reddenda gratia intentius meditabitur. Quædam au-  
tem beneficia palam, quædam occulte tribuenda sunt.  
Quæ virtuti debentur, palam dari conuenit, vt & ho-  
norandus appareat qui accipit, & alij eius exemplo ad  
actiones honore dignas excitentur. Is vero occulte erit  
adiuuandus, quem inopiæ suæ pudet, cui si quid in ap-  
to obtuleris, magis proditum se dolebit, quam lætabit  
adiutum. Beneficij obliuisci debet qui dedit, semper au-  
tem memoriter tenere qui accepit. Ideo saluator noster  
cum surdum & mutum curasset, eis a quibus oblatum fu-  
erat, ne cui dicerent præcepit, sed illi tanto magis præ-  
dicabant. Hinc igitur discas, & vitare iactantiã si bene-  
ficium dederis, & ingrati silerium si acceperis. Illud qd  
tua causa p̄stas, nõ est beneficiũ, sed seipsum amantis cõ-  
siliũ. Nõ enim p̄stares, nisi tibi, p̄futurũ sperasses. Quod  
aut & tua & mea causa mihi donaueris, iniustus fore, nõ  
pro eo me tibi debere faterer, imo eo iucundius esse debet  
donum quod cõmodo atque vsui est, & tibi dare & mi-  
hi accipere. Inuidi est enim suam tantum utilitatem spe-  
ctare, & cum acceperis, quod alijs quoque profuturum  
sit, nolle beneficij loco ducere. Recte autem non esse

Matt. 7.

Isa. 61.

Ioh. 15

Jonas.

beneficium contendentem, alteri aliquid eripere, ut alteri dones. Nam cum beneficium dare liberalitatis virtus sit, & aliena rapere avaritiæ vitium, quomodo potest dici virtus, quæ vitio constat? Quis neget dare eleemosynam pietatis esse munus? & tamen offerre in templum non licet, quod partum est inique. Sic enim in Isaiâ legimus. Ego dominus diligens iudicium, & odio habens rapinam in holocaustum. Ergo inquit, si beneficium non est quod accepi, nihil debeo illi a quo accepi? Nihil plane ei a quo accepisti, sed cui ablatum est ut acciperes. Huic redde suum, & ei nihil debebis, qui largitus est alienum. Ne concupiscere quidem iniuste rem proximi tui iuberis, nedum possidere. Porro nullum maius beneficium homini ab homine præstari potest, quam si quis pro aliorum salute suam vitam periculis obiecerit, cum inter præsentia bona nihil vitæ charius habeatur. Maiorem, inquit dominus, charitatem nemo habet, quæ ut animam suam ponat quis pro amicis suis. Hanc profecto charitatem ipse nobis primus exhibuit, qui nobis sua morte aditum vitæ æternæ referavit. Hunc imitari sanctissimi martyres, contra principum interdicta viâ adipiscendæ salutis alios palam docebant, semet certe morti & quidem per tormenta sustinendæ audacter exponentes. Proximi ergo animæ periculum (si possumus) præsentis vitæ nostræ impendio propulsare debemus. Et si Jonas propheta tempestatem in mari passus mergi voluit ne alij mergerentur, quanto magis præferenda est cuiusque hominis animæ salus corporis nostri salutis? Omne tamen beneficium non tam res ipsa magnum facit, quam voluntas. Magnum est, cum libenter, cum cito offertur, cum toto animi affectu impenditur: displicet si cunctanter, si triste, si superbe, si serius quam oportuit præstatur, si denique pene a nolente & invito extorquetur. Quemadmodum igitur rem multi pretium vilitat frigida voluntas tribuentis, ita exiguum etiam beneficium gratum efficit in conferendo animi promptitudo atque facilitas. Illi quoque plus debeo, qui parvi modique sui peculii participem me fecit, quam qui dives

multum donauit. Plus enim largitus est, cui minus quo ipse fruatur restat. Hanc verissimam sententiam domini confirmat autoritas. Cum enim quidam diuites in templo grandem offerrent pecuniam, plus oblatum dixit a vidua pauperula, quæ duo tantum minuta æra obtulerat. Satis hæc de tribuendis beneficijs, nunc de accipiendis reddendisque exponamus. Matt. 12.

## De beneficijs accipiendis.

## Caput. xxiiii.

**A** B illo accipere beneficia oportebit, cui nos debere delectat. Molesta res est, his quibus nolis esse deuinctum. E contrario autem iucundissimū est, ei quem nullo etiam intercedente beneficio diligeres, accepto obligari, & causam referendæ gratiæ habere. Ab optimo quoque beneficium accipere tam gratū est quam testimonium habere ipsorum erga nos amoris. Læto vultu gratoque animo sicuti dandum ita & accipiendum erit beneficium: qui contemptim acceperit iam ingratus est, si sibi beneuole præstitum est. Ille vero qui hilare accipit, & libenter, iam persoluit maximā beneficij partem, quæ in animo est. Reddit enim pro beneuolentia beneuolentiam, licet nondum munus, pro munere retulerit. Deest interdum referendi copia, interdum occasio, & quamdiu ista desunt, qui accipit beneficium tamquam relaturus, tam retulisse videtur, quia satis est voluisse, quoties posse non occurrat. Ab illo qui infamia notatus est, & turpiter viuit, non accipias beneficium, ne perditis moribus eius fauere videaris, nisi forte eo accepto. & inita cum homine familiaritate spes fuerit, tuis admonitionibus eum reuocandi, sibi que restituendi, ne in nequitia obduratus pereat. Cūq; etiā malis beneficiendū sit, non est præmittenda benefaciendi occasio si tunc se offerat, cū ille q; corrigi debet, munus aliquod porrigit. Tunc etiam a malo accipiendum erit, cum ille deterior futurus timetur, nisi acceperimus. Tyranno enim aut improbo aliq; domino munus vltro porri-

gente, si non acceperis, contemni se putabit, & qui prodesse volebat, mutato animo offendet. Ab hoc genushominibus non est liberum nolle accipere. Nec tamen illi quicquam pro eo debeo, quod inuitus accipio, reddam si repetet, non ut benefactori, sed tanquam creditori. Et si reddidero, gaudebo me ab illius beneuolentia esse solutum, qui dignus est odio. Alia quoque causa est accipiendi beneficii etiam ab impiis, cum videlicet eo accipitur pro datur facultas benefaciendi bonis ac iustis. Sic Ioseph accepit a Pharaone, sic Daniel a Nabuchodonosoro, non hoc quidem, ut ipsis gratiam deberent, sed ut suis prodesent.

## De beneficijs reddendis.

## Cap. XXV.

**P**orro in referenda gratia tales nos praestemus, quales esse decuit in beneficio accipiendo. Cui refertur, sentiat quam libenter, quam iucunde sibi referatur; ut laetus sit, se quoque prudenter egisse, quod in homine tam grato suum collocarit beneficium. Nilominus soluta etiam gratia, nos ei debere fateamur quia dignos nos suo beneficio iudicauit, quia prior ad amicitiam venit, ut merito redametur, qui coeperit amare. Interim si grati esse volumus, nunquam patiamur excidi memoriam collatorum in nos beneficiorum. Ingratus est, qui non reddit. Audeo dicere, non minus ingratus est qui non meminit: quoniam ne tunc quidem gratus fuit cum acciperet. Quod enim libenti animo accipimus, id non facile obliuiscimur. Illa vero facillime obliterari solent, quae minimi aestimant. Qui ergo oblitus est, is profecto testatur, se pro vili habuisse quicquid accepit. Reserrem, inquis, si accepti memor fuisse, imo memor accipiti fuisses, si referre gratiam cogitasses. Ipsa obliuio te ingratitude accusat, qua te defendere ab ingratitude conaris. Quae autem res est, quae praecipue faciat ingratos? Alios certe superbia, alios auaritia. Illi dignos se beneficio existimant, & dedisse putant cum acceperint: hi vero accepisse se dissimulant, ne reddant, & quanto



## De charitate Liber V. 391

cupidius acceperūt, t̄aro in reddendo lentiores existūt, nihilq; se fecisse lucri arbitrantur si paria reddiderint, quasi vero gratum esse non virtus sit, sed vitium. Quod enim turpe est, id vtile putant; & quod honestum est, hoc sibi incommodo esse existimant. Ideoq; alterum respiciunt, alterum affectant, & ingratitude pro qua fruuntur vtuntur. Duo autem ista, arrogantia videlicet & cupiditas, cū oib; vitāda sint, tū iis maxie, q; vel bñfici vel grati esse cupiūt. Nō referre gr̄am cū possis, turpissimū est, cum nō possis, velle tantum retulisse est. Ceter; illi qui non reddere, lucrari esse existimant, multum qdem falluntur. Quis enim in eum iterum beneficus erit, cuius ingratitude semel fuerit expertus? Itaq; rarius accipiet, qui in reddendo negligentem se pr̄stabit. Illi vero qui capeffendis virtutibus operam impendūt, non rerum emolumenta sequuntur, sed morum: eis incumbunt officijs, eorum cura studioq; distringuntur, in quibus versantes, non diuitijs, quæ improbis etiam communes sunt, sed quod longe beatius est, vitæ sanctimonia proficiunt. Quinimmo contemptis calcatisq; opibus, ad solam virtutem confugiunt, neq; hanc se consequi posse sciunt, nisi illas abiecerint. Et cum nihil pretiosius virtute sit, quis negauerit eos multum lucrifacere, qui in dando reddendoq; beneficio & liberales in primis & grati esse student? Hæc enim ea res est, quæ amicos comparat, quæ inimicos placat, quæ deum propitiat, quæ immortalitatem mortalibus donat, & de terra sublato, cælo inserit sedibusq; sanctorum, vt semper beati sint, qui vt charitatem seruarent, semper munifici liberalesq; fuerunt. Is autem qui in beneficijs compensandis dati accepti rationes dispungit, nec liberalis profecto, nec gratus est, sed cupiditati seruiens negotiator, & terrenis tantum ac perituris inhians bonis, non ad cælestia animum intendens & æterna. Virtute autem contentus esse debet, & non suum, sed alienum respicere commodum, tam ille qui confert beneficium, quam qui gratiam refert, atq; vterq; ita se gerere, vt deo magis placeat quam hominibus. Quos hominibus placere

magis delectat, ab hominibus captant gloriam, & a deo non accipiunt mercedem, debitaque virtuti præmia amittunt, dum quicquid recte laudabiliterque egerint, vanitati tradunt, & non in eum finem, in quem debent dirigunt.

Vtrum debemus pro beneficio cui  
successit iniuria. Cap. XXVI.

**Q**uid, inquit aliquis, si post beneficium acceptum affectus sim iniuria, debeo ne aliquid pro beneficio? Non videtur mereri gratiæ relationem, qui beneficium suum consequenti corruptit offensam. Itaque non eris ingratus, si ei beneficium non reddideris, qui quantum intulerat boni, tantum postea mali irrogavit. Intuendum igitur minor ne an maior sit iniuria quam beneficium. Minoris enim iniuriæ obliuisci debes, & memor esse beneficii. Cum vero maior vel par fuerit offensa, obligatione beneficii absolutus est, neque gratiam debes illi, quæ gratiæ meritum lædendo amisit. Iniuriam tamen omnem, quæ tunc fuerit, remittere debemus, nec vindictam appetere, pro eo quod ait: Dimittite, & dimittet vobis. Sed si condonata est iniuria, inges, cur non manet beneficium? Iniuriam remitte, ne deum offendas: beneficium reddere supercede, si ita tibi expedire videbitur, ne homini qui non meretur gratiam referas. Alioquin qui sine causa ingrati sunt, quibus nulla lege puniantur, deum tamen habent ultorem. Agar ancilla beneficii immemor quod acceperat, dominam suam, pro affectu: ob hoc electa cum puero quem genuerat, famem simitque pertulit pro culpa. Absolon patrem, cui charissimus erat, a quo fraternæ cædis veniam acceperat, regno pellere moliebat, sed tantæ ingrati tudinis scelus merita nece persoluit, relictis confossus inimicorum. Nabalis in Davidem ingrati tudine, de summis diuitiis ad summam ipsam rede gisset paupertatem, nisi vxor eius Abigail multis ob latis muneribus pro illo satisfacisset. Scias igitur deo atque hominibus pariter iniuriam eum qui ingratus est, tantoque magis si pro bono malum reddit. Tunc enim non solum ingratus est, sed etiam iniurius.

Libri V. finis.

Agar.  
Gen. 16.

Absolon.  
2. Reg. 18.  
Nabal.  
1. Reg. 25.